



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XLII. De Iuramento & Adiuratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

qui est omnium Religiosorum communis Superior, cum ab ipso omnis iurisdictio spiritualis ad illos descendat. Itaque cum promissio & votum non operetur ultra intentionem promittentis, non tenentur Episcopo ex vi voti; quod maxime locum habet in iis qui erant ab Episcoporum iurisdictio- ne exempti: nam in non exemptis valde probabi- lis est sententia Nauarri, quia ex vi voti subsunt Episcopo. non tamen tenentur se illi offerre vt ipse eos dirigat, & ab ipso in omnibus dependeant, vt vult Nauarrus; quia hunc modum viuendi non

vouerunt: sicut nec ad aliam Religionem tenen- tur; imò nec à Romano Pontifice compelli possunt vt aliam capeffant, vt idem Nauarrus docet de Re- gular. consil. 17.

Septimo, Eiectum non est solum suis votis; ¹¹⁵ et si cesset ex parte executio ob defectum materiae; ^{An solutus} nempe quia caret Superiore à quo dirigatur, de- ^{suis votis.} ber tamen ea seruare in præparatione animi. A reliquis verò monasticis obseruantis, vt à ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, silentio, est liber: quia hæ comitantur vitam monasticam.

CAPVT XLII.

De Iuramento & Adiuratione.

Constat Dubitationibus 14.

EXplicatâ naturâ voti, & status Religiosi, qui voto constat; sequitur alius religionis actus, qui iuramentum, iusiurandum, & interdum sacra- mentum (eò quod sit rei sacræ attestatio) à Iure & Scriptoribus vocatur. Huic affinis est adiuratio, quæ etiam per aliquid sacrum fit, quam eodem ca- pite tractabimus. De iuramento agit D. Thomas quæst. 89. de adiuratione, quæst. 90.

DUBITATIO I.

Quid sit Iuramentum.

D. Thom. quæst. 89. art. 1.

¹
Iuramen-
tum.



IURAMENTVM dicitur à Iure, quia instar Iuris habendum. vnde à Latinis passim vocatur Iusiurandum. Græcis dicitur ἑρκος. quasi ἑρκος, & septum firmum, extra quod non liceat procedere. Est autem Iura-

mentum nihil aliud quam attestatio diuini Numi- nis, vel inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.

^{Attestatio.}

Est attestatio, id est, actio illa seu inuocatio, qua Deus adducitur in testem; quæ actio est opus intellectus, nam est locutio interior vel exterior, sup- ponens actum voluntatis, quo intendimus illum in testem vocare.

²
Obiectio.

Dices, Ergo qui iurat, petit miraculum: Deum enim præbere testimonium dictis hominum, est res insolens supra naturæ ordinem. Deinde si iuramentum est inuocatio diuini testimonij, ergo est actus orationis; quia inuocatur Deus vt opem ferat ad persuadendum; ac proinde Sancti, quando inuocabant Deum vt miraculis prædicationem comprobaret, iurabant.

^{Resp.}
Non petit
miraculū.

Respondet ad Primum, negando conseq. Non enim iurans petit absolutè vt Deus nunc teste- tur, sed quando ei placuerit; vel saltem quando illuminabit abscondita tenebrarum, & reuelabit oc- culta cordium, quod testimonium nulli deest: hoc autem valet ad fidem faciendam; quia non facile putatur quis ita esse improbus, vt ausit Deum fa- cere testem falli.

Ad Secundum: Qui iurat, non inuocat diuinum

testimonium per modum orantis, sed per modum testantis; sicut dicitur inuocare testimonium Prin- cipis vel populi, qui dicit, Testor Principem, te- stor populum. hoc enim non est propriè orare, de- precari, sed testem constituere; & quantum in se est, ad testandum mouere. Simili modo dicimus, Facio Deum meum Iudicem, meum patronum, procuratorem, vindicem, &c. exprimentes affe- ctum, quo illum ad hæc, quantum in nobis est, monemus, absque alia deprecatione.

Hinc patet Primò, Cur periurium sit graue ³ peccatum; quia nimirum qui falsum iurat, quan- ^{Cur peri-} tum in se est, facit Deum approbare falsum pro- ^{urium graue} vero; quæ est atrox iniuria. Sicut enim, qui di- ^{peccatum.} cit, Deus sit mihi socius, adiutor, fautor huius furti, homicidij, &c. affectu ipso & quantum in se est, facit ipsum auctorem & fautorem peccato- rum: sic qui in mendacio dicit, Deus sit mihi tes- tis; facit ipsum, quantum in se est, approbatorem mendacij.

Patet Secundò, Duo requiri ad essentiam iura- ⁴ menti, intentionem iurandi, seu Deum testem fa- ^{Duo requi-} ciendi, & locutionem, qua in testem vocetur. vn- ^{ri ad iura-} de si alterum horum absit, non erit iuramentum. ^{mentum.} Itaque illis formulis, *Per fidem meam, Fide boni viri, Fide boni Christiani vel Sacerdotis*, vt ordina- ^{Varie ser-} riè accipiuntur, non est iuramentum, vt docet Na- ^{uilla.} uarrus cap. 12. num. 2. Caiet. qu. 89. art. 6. Sotus lib. 8. q. 1. art. 1. & alij multi. nam qui sic loquun- tur, non intendunt iurare, sed solum significare se loqui ex virtute fidei vel veritatis, quam vir pro- bus, Christianus, Sacerdos, in dictis & pro- missis suis adhibere debet; & si fallat, vt non ha- beatur verax aut fidelis. Si tamen intelligant fi- dem Catholicam, erit iuramentum: qui enim dicit, *Per fidem Catholicam, per sanctum Evan- gelium, censetur auctorem illius in testem addicere.* Nihilominus si alio sensu & alia mente huius- modi verbis vteretur, non esset iuramentum; vt si dicendo, *Per fidem meam feci, dixi, faciam*, &c. vellet significare causam efficientem vel impulsi- uam. Neque in his est iuramentum, *Per meam conscientiam* (ethi Soro de hoc aliter videatur) *super meam conscientiam, in conscientia, in veritate*; tantum enim significant se loqui ex conscientia & veritatis notitia. & idem valent, *Per conscientiam,*

tiam, & in conscientia, neque etiam in hac, Amen, amen dico vobis; iuxta probabiliorē sententiam: et si Origenes tract. 35. in Marthæum, & quidam Patres illum secuti, & recentiores contrarium putent. Incredibile enim est, Dominum tam læpè iurasse; quin potius verisimile, numquam iurasse, qui omne iuramentum, quantum fieri posset, vitandum docuit. tantum igitur volebat illā formā loquendi insinuare, se ex certissima veritatis notitia docere. Apud Græcos idem ferè valet *oui*, id est, *certè, verè*, vt colligitur 2. ad Corinth. 1. v. 17. 18. 19.

In istis verò, *Coram Deo loquor, Deus scit ita esse, Deus videt me vera dicere, videt meam conscientiam*, prout vulgò accipi solent, censetur esse iuramentum. Sic Apostolus ad Gal. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior*. Si tamen quis non intendat iurare, sed solum affirmare Deum ista scire, intueri, non erit iuramentum, quia deest intentio, vt rectè Caietanus art. 1. & Sotus supra.

Denique in his, *Te renie Diem*, vt Galli dicunt, & *Pese à Dios*, vt Hispani, & similibus, potius est blasphemia, quam iuramentum, vt docet Couar. in cap. *Quamuis pactum* p. 1. §. 7. n. 12. etsi in illo secundo implicite etiam contineatur iuramentum execratorium, vt ex eodem, & ex Soto supra colligitur.

Dices, *Quidam iurant per falsos deos, in quibus nihil est numinis, vel per creaturas: ergo non omne iuramentum est attestatio diuini numinis.*

Respondet, Iuramentum per falsos deos non esse verum iuramentum, nec obligare nisi ex conscientia erronea; quia nulla reuerentia illis debetur: nec metuendum esse illos videamur fecisse testes falsi. Vnde non est per se peccatum mortale iurare falsum per Iouem, si scias Iouem nihil esse; quia verè non iuras; sed iocaris & ludis imagine iuramenti: perinde ac si chimæram testeris, vel rem aliquam ratione carentem; nisi fortè fiat seriò, vel ad imperium tyranni, vel cum illis circumstantiis, vt videaris Ioui honorem diuinum deferre. Infidelis tamen putans Iouem esse Deum, erit periurus, saltem affectu & culpa; si falsum iuret vel promissa iurata non seruet. Vide Couarruiam supra num. 24.

Nec obstat quòd D. Augustinus Serm. 30. de verbis Apostoli sub finem ait, *esse periurum, qui falsum iurat per lapidem* (id est, per Iouem, vt patet ex antecedentibus) *etiam si sciat Iouem nihil esse; quia intelligi potest esse periurum ex opinione ethnici, cui tale iuramentum præstatur, & cui fides in contractibus seruanda, vel quia externa specie periurus videtur: nam seriò videtur iurare, sicut qui thus adolet idolo, exterius est idololatra, etiam si in animo non habeat illud pro Deo, nec intendat illi honorem deferre. Iuramentum autem per creaturas est verum iuramentum: quia cum sic iuramus, non volumus ipsas nobis esse testes, sed eum, qui in ipsis singulari modo præfidet & relucet, cuius ipsæ sunt templum, sedes, thronus, tabernaculum, scabellum pedum; vt patet Matthæi 5. & 23. de quo infra dubit. 3. Accipitur enim continens pro contento, & signum pro signato. Possumus tamen etiam Sanctos secundum se in testes vocare; (vt Testor B. Virginem, S. Petrum; & Apostolus 1. ad Timotheum 5. *Testor coram Deo, & Christo Iesv & electis Angelis eius*.) sed tunc non erit propriè iuramentum,*

aut actus Religionis, sed obseruantia; seu dulie supernaturalis, sicut supra dictum est de oratione & voto ad Sanctos directo. Ordinariè tamen tales formulæ ita accipiuntur, vt illis censetur primariò in testem vocari Deus qui in Sanctis habitat; & secundariò ipsi Sancti, qui etiam res nostras cognoscunt: sicque idem actus externus, vt subest diuersis intentionibus, ad diuersas virtutes pertinet.

Additur in definitione, *ad fidem faciendam vel 7* *promissionem firmandam*, vt explicetur finis immediatus vsus iuramenti, qui duplex est, vnde etiam *Finis iuramenti.* duplex est iuramentum & promissorium. Docet id Greg. Nyssenus in Cantica, explicans illud, *Adiuro vos, &c. In iurandum*, inquit, *est oratio per se confirmans veritatem. Est autem duplex iuramenti operatio: aut enim quispiam ei, qui audit, facit fidem veritatis, aut alius per iuramentum assertor necessitatem vt minime mentiat, vt, Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum; hic fides promissi confirmatur iure iurando.*

Dices, Multi iurant ex ira, qui non intendunt fidem facere, aut se ad aliquid obligare.

Respondet, Illi non intendunt propriè iurare, sed potius imprecari malum, vel patefacere iram.

DUBITATIO II.

De multiplici iuramenti diuisione.

Multæ sunt iuramenti diuisiones: aliud enim ⁸ *1. Diuisio.* verbis concipitur, aliud nutu, vel alio signo, vt manu sublata. sicut enim votum & professio fit tacite vel expresse, ita & iuramentum.

Deinde aliud est *per simplicem contestationem*, in ^{2. Diuisio.} quo Deus solum vt testis vocatur, v. g. Testis mihi sit Deus, Testor Deum, Iuro per Deum; quæ omnia idem valent, vt docet D. Augustinus Serm. 28. *Per contestationem simplicem.*

Aliud *per execrationem*, in quo etiam vocatur in ^{Per execrationem.} vindicem; vt, Puniendo testetur, si fallo. Sic Apostolus 2. ad Cor. 1. *Testem inuoco Deum in animam meam.* Item, *Peream, Dispeream, Ita me Deus amet, adiuet, Ita mihi sit propitiis.* nam in his non solum significatur vt sit propitiis, si est verum; sed etiam vt non sit propitiis, si falsum. Item illud quod olim frequens erat apud populum Iudæum, *Hæc mihi faciat Dominus & hæc addat, eundem sensum habet: sicut & ista, Per animam meam, Per caput meum, Per vitam meam.* Simile videtur illud, quo Deus in veteri Testamento aliquando vsus est, moribus humanis se accommodans, vt Psalm. 94. *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* quasi dicat, *non sim Deus.* Alij tamen dicunt, *Si accipi pro Non.*

Aliquando non nostram personam, sed aliam nobis coniunctam obligamus Deo, vt in ea nos puniat, si fallimus, vt *Per vitam filij, vxoris, Per salutem Regis.*

Dices, Hoc est imprecari malum, quod est contra charitatem. ⁹ *Obiectio.*

Respondet, esse contra charitatem, si mentimur; si autem verum est quod dicimus, non est contra, sed potius secundum charitatem: ostendimus enim quanti alterum faciamus, eumque sic honoramus. Neque solum imprecamur malum si fallimus, sed etiam bonum si non fallimus. Itaque *Per salutem Regis, idem est ac si dicas: Ita Deus sal-*

Obiectio. Iuramentum per falsos deos.

Per creaturas.

Resp.

uct, vel non saluet Regem; saluet, si verum dico; non saluet, si fallo. virumque enim includitur. Idem dicendum de istis, Per animam meam, Per caput meum, &c.

Petes, Vtrum execratorium differat specie à contestatorio.

An differant specie.

Respondeo, Non differre specie in ratione iuramenti; quia utroque Deus vocatur in testem; sed in contestatorio solum vt generali modo testetur & veritatem aperiat: in execratorio, vt aperiat puniendo, si fallo. Per iuramentum tamen execratorium videtur specialem malitiam continere contra charitatem sui, quatenus homo sibi ipsi imprecatur malum, Deumque ad illud infligendum expressè prouocat. vnde pro diuersitate mali, est diuersa malitia huic periurio coniuncta, vt rectè Caietanus a. 1. Hoc tamen intellige cum Caietano, si periculum sit præsentis punitionis, vt si fiat v. g. ad altare S. Antonij, vbi peccantes statim solent puniri. Alioquin si putetur non esse periculum, non habebit peculiarem malitiam contra charitatem ratione execrationis: nam in omni iuramento tacite includitur quædam execratio, quatenus se exponit vindictæ, si Deum faciat testem falsi. Itaque omnia periuria sunt eiusdem speciei: quia deformitatem vnus rationis continet. Quare non est absolute necessarium explicare in confessione an fuerit per execrationem, an per simplicem contestationem, excepto illo casu iam dicto: nisi forte fuerit solemne in iudicio, quod quibusdam locis est reseruatam Ordinario.

Periuria omnia sunt eiusdem speciei.

10

3. Creatura quadrupliciter spectari potest. Quadrupliciter per creaturam potest iurari. 1. Per creaturam secundum se spectatam.

Tertio, Aliud est per Deum, aliud per creaturam.

Potest autè creatura spectari quadrupliciter. Primo, Secundum se. Secundo, Vt in ea elucet vel apprehenditur numen diuinum. Tertio, Vt est aliquid ad nos pertinens, quod obligamus Deo. Quarto, Vt falsò putatur habere aliquid diuinitatis.

Si primo modo, Sic per creaturam non est verum iuramentum: quia vel ipsa per se testis esse non potest, vel non vt prima veritas. vel enim ipsa non cognoscit quid dicamus; & sic stultum est illum in testem adducere: de quo vide Nauarrum c. 12. Enchir. n. 5. vel cognoscit; (vt Sancti) & sic potest quidem vocari secundum se in testem, sed non vt suprema veritas. vnde non est proprie iuramentum, sed actus dulciæ, vt antè dictum est.

2. Per creaturam vt continet Deum.

Si secundo modo consideretur, vt continens singulari modo & simul quodammodo inuoluens diuinum numen; sic per illam est iuramentum. hoc modo qui iurat per cælum, censetur iurare per eum qui in cælo habitat; qui per terram, per illum qui terram suspendit de nihilo, cui ipsa instat pedum scabelli; qui per templum, per eum qui ibi colitur, vt patet Matth. 23; vbi Dominus corrigit errorem Iudæorum, qui putabant iuramenta per creaturas (vt per templum, per altare) non obligare, nisi essent tales, quæ seruirent eorum commodis: vt per aërum templi; per donum, quod altari imponitur. Sic dum iuramus per Euangelia, intelligimus simul eorum auctorem; dum per Crucem, crucifixum; per reliquias Sanctorum, numen diuinum ibi singulari modo afficiens, & in Sanctis habitans. Hoc modo si quis Deum in omni re norit contemplari, per omnem creaturam iurare potest, quia ipse omnium viuentium vita, & omnium existentium esse, & fundus essentialis, vt Dionysius loquitur; omnia creans, formans, sustentans, & assiduo influxu conser-

uans. Non tamen solemus iurare per res viles, vel fordidas, ob speciem indecentiam; sed solum per nobiliores, in quibus manifestius elucet, quæque absque indecentia adhiberi possunt.

Si tertio modo consideretur, erit iuramentum execratorium, vt cum iuramus per animam, per vitam parentis, vel rem aliã nobis valde charam. Sic Ioseph iurauit per salutem Pharaonis, (Gen. 42.) à qua ipsius felicitas pendebat, obligans illam Deo; si verum non esset quod dicebat. Quamuis hoc etiam possit intelligi per simplicem contestationem, vt docet D. Thomas art. 6. Verius tamen existimo fuisse formulam iurandi vitiatam apud Aegyptios: nihilq; aliud esse Per salutem Pharaonis, quam per eum qui saluat & metur dignitatem Regiam Pharaonis, nempe per Deum. nam pharasi Hebræa communiter in aliis linguis recepta Deus dicitur salus regum & regnorum, quia ea conseruat & tuerur. ac proinde hoc iuramentum non videtur fuisse execratorium.

3. Vt expiatur animus.

Si quarto modo spectetur, tamquam ipsa aliquid diuinitatis habeat; erit blasphemia & species idololatria. Similiter blasphemia erit, si quis inuerecundè iuret per membra Christi, & Sanctorum, quasi in illis sit aliquid pudendum. vide Coenar. in cap. Quamuis pactum. §. 1. n. 16. & 17.

4. Vt ipsa habeat aliquam diuinitatem.

Petes, Vtrum iuramentum per creaturas sit eiusdem speciei ac per Deum?

An sit eiusdem speciei.

Respondeo, esse, si ritè fiat; quia qui iurat per creaturam in modum simplicis contestationis, simpliciter testatur ipsum Deum. qui per modum execrationis, etiam testatur Deum explicitè vel implicite; et si simul maledictionem inuoluat.

Quarto, Aliud est simplex, aliud solemne. Solemne est, quod habet aliquam notabilem circumstantiam externam, vt si fiat coram testibus vel Notario, vel in tribunali, vel tactis Euangelij, reliquijs, &c. Simplex, quod caret huiusmodi circumstantia. vtriusque eadem vis coram Deo. Si tamen solemne violeatur, est maius peccatum ob scandalum.

11 4. Diuisio.

Quinto, Aliud est assertorium, aliud promissorium, aliud comminatorium. Assertorium adhibetur solum vt credatur aliquid, quod aliter probare non possumus, siue sit præsens, siue præteritum, siue etiam futurum; est hoc rariùs: vt si iurem Petrum creas moriturum, aut futuram pluiam, &c.

5. Diuisio. Assertorium, promissorium, comminatorium.

Promissorium est, quo intendimus nos alteri obstringere, seu quo confirmamus nostram promissionem.

Comminatorium est, quo minamur alteri penam. Differunt hæc, quòd in assertorio nullam intendimus nobis imponere obligationem, sed solum facere fidem, vt aliquid credatur. In promissorio intendimus nos obligare ei, cui promittimus. In comminatorio intendimus nos obligare non ei, cui minamur, sed absolute ad infligendam alteri penam; nempe, vt constructi reuerentiã iuramenti non audeamus condonare.

Deinde in primo requiritur tantum vna veritas, quæ expressè assertitur. hæc si absit, semper est peccatum mortiferum, quantumuis res sit exigua: quia omnes veritates in ordine ad testimonium Dei eiusdem sunt rationis. In secundo & tertio requiritur duplex, nempe vna præsens, quòd habeas animum exequendi: altera futura, quæ consistit in executione. Harum prior est principalis, & necessariò requisita; si enim absit, erit per-

Veritas res singula.

peritium mortiferum. Altera est secundaria, & sæpè absque peccato abesse potest. Sæpè enim expedit, quod prudenter promissum vel comminatum est, non mandari executioni, mutatis circumstantiis. Sic Dauid iuramentum comminatorium aduersus Nabal non est executus, 1. Reg. 25. vel quia tacita suberat conditio, vel quia calore iracundiæ conceptum.

12
6. Diuisio. Sexto, Aliud est absolutum, aliud conditionale. hoc habet tacitam vel expressam conditionem. Tacita conditio subest vel ex Iuris dispositione, vel ex iurantis intentione.

Ratio harum diuisionū est. In iuramento quinque spectari possunt: Primò, Id quod iuramento confirmatur, & ratione huius est diuisio quinta & sexta. Secundò, Id per quod iuratur, & sic est tertia. Tertio, Modus, quo Deum testamur, & sic habetur secunda. Quarto, Circumstantia notabilis exterior, & sic habetur quarta. Quintò, Signa quibus exprimitur, & sic habetur prima.

D V B I T A T I O I I I.

Utrum licitum sit iurare, siue per Deum, siue per res creatas.

D. Thomas artic. 2. & 6.

13
M Vlti hæretici olim docuerunt, non esse licitum iurare; vt Messaliani, qui & Euchitæ dicti, Pelagiani, VValdenses; & nostro tempore idem docent Anabaptistæ, qui etiam id exactè seruant. Idem docuit VViclef in contractibus humanis. Vide Castro contra hæreses v. Iuramentum, & Ianfenium in Concord.c.40.

Iuramentum esse licitum. Sed contrarium est fide tenendum. Primò, Quia in Scripturis legimus viros sanctissimos in contractibus iurasse. Genes. 21. Abraham sædus inquit cum Abimelech, & illud iuramento confirmat; idem facit Isaac, Gen. 26. cum eodem Abimelech, vel eius successore; & Iacob, Genes. 31. cum Laban. Alij ob alias causas sæpè iurarunt, Moyses Deut. 4. *T estes inuoco calum & terrã, citò vos perituros*; & c. 3. idem repetit. Dauid sæpè iurauit, *V uiu Dominus*, q. d. per vitã Dei. & Plal. 62. ait: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, id enim erat signum esse Dei veri cultores; & Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis*; Apostolus quoque in nouo Testamento, ad Rom. 1. 2. ad Cor. 1. ad Philip. 1. 1. ad Tim. 5. Imò ipse Deus sæpè legitur iurasse, Plalm. 94. 109. & c. non quòd iuramentum Dei firmitus sit quàm simplex assertio, (hæc enim omnem firmitatem habet, quæ à diuina auctoritate potest accedere) sed partim quia homines magis iurato credere solent, quàm iniurato; partim vt illis magis inculcet & ostendat immobilitatem consilij sui, vt ait Apostolus ad Hebr. 6. ne videlicet suspicentur subesse aliquam tacitam conditionem, cuius mutatione fieri possit vt non eueniat quod Deus promissit; vt interdum in prophetis comminatorijs accidit. Ita D. Thom. in illum locum Apostoli.

Secundò, Probatur ex vltu omnium gentium, & omnium tribunalium. omnis enim controuersie finis est iuramentum, teste Apostolo ad Hebræos 6.

Tertio, Iuramentum est cultus latriæ apud omnes gentes: per hoc enim tacitè testamur, Deum habere prouidentiam rerum humanarum,

& omnium rerum cognitionem & potestatem.

Quarto, Iuramentum facit vt reuerentia & timore diuini Numinis, veritatem dicamus, pacta custodiamus, fidem seruemus, pacem reuincamus, ab iniuriis ablineamus, controuersias definamus; quæ omnia valdè bona sunt, & rebus humanis necessaria.

Obiicitur Primò, Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. ego autem dico vobis non iurare omnino; neque per calum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Ierosolyman, quia ciuitas est magni Regis. sit autem mentio sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Et Iacobi 1. *Nolite iurare quodcumque iuramentum.* Omnis variis interpretationibus, quas videre est apud Ianfenium, Maldonatum, & alios,

Respondeo, Christum hîc corrigere duos errores Pharisaorum: quorum alter erat, Licetum esse quauis occasione iurare per creaturas. Alter, Iuramentum per creaturas non obligare; vt supra dictum est ex cap. 23. Matth. Itaque docet non iurandum omnino, id est, nullo iuramento, nec per Deum, nec per creaturas; intellige quantum in nobis est, seu nisi necessitas compellat. Iuramentum enim non est de genere eorum, quæ per se bona sunt & frequentanda, vt ieiunium, oratio, eleëmofyna; sed quæ solum bona censentur, posita necessitate, vt antidota & modicamenta, & sicut occidere hominem, capere alienum. Ratio est, quia irreuerentia est, tantum testem adducere ad confirmandam rem parui momenti, aut quando necessitas non postulat, vt optimè ostendit Chrysostronus Homilia 9. in Acta. Quando verò res est grauis, & alia ratio commoda non suppetit, bonum est iuramentum adhibere, si debita circumspetione & reuerentia fiat. Colligitur hæc expositio tum ex ipsa Scriptura, tum ex D. Augustino, lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 30. & 31. eodem modo intelligendus est locus Iacobi.

Addit Dominus, *quod his abundantius est, à malo est*, id est, à diabolo, & iuramentum dicatur esse à malo. Quomodo tra necessitatem) à malo est, id est, à diabolo, & iuramentum dicatur esse à malo. qua voce diabolus significari consuevit, cum pro ipso propriè non quamuis, sed morum malitiam denoter, vt supra cap. 37. num. 20. dictum est. Ita hunc locum explicant aliqui Græci, & nosfer Maldonatus. Significat ergo Dominus, iuramentum extra necessitatem adhibitum, vbi simplex affirmatio vel negatio sufficit, à diabolo, non à Deo introductum esse; ideoque valdè cauendum. Vnde etiam in veteri Testamento fuit prohibitum; Ecclesiastici 23. *Iuratiom non assuecat os tuum, multi enim casus in illa. & paulò post: Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga; & quæ sequuntur: quæ sanè à concionatoribus valdè sunt inculcanda. vide Chrysostronum Homilia 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. ad populum Antioch. vbi omnibus viribus hanc consuetudinem exterminare conatur.*

Obiicitur Secundò, Multi Patres docent, *Iudæis tamquam paruulis esse permissum iurare per Deum, ut minus malum, ne iurarent per creaturas; sicut permissus illis fuit libellus repudiij: Euangelicam autem veritatem non recipere iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.* Ita Hieronymus in caput 5. Mathæi, Chrysostronus Ho-

mil. 15. in Genesim, & Homil. 9. in Acta. Basilii in illud Psal. 14. *Qui iurat proximo suo, & non decipit.*

Respons. Respondeo, Patres loquuntur de iuramento per Deum passim adhibendo absque necessitate; hoc enim illis causa maioris mali vitandi permiffum fuit, ne videlicet more ethnicorum iurarent per creaturas & idola: Dominus autem hanc permissionem sustulit. itaque veritas Evangelica non recipit iuramentum; intellige, absque necessitate, quo modo in vfu erat apud Iudæos. non enim in omni euentu volunt esse illicitum iuramentum, præsertim per Deum, vt ex Hieronymo & Basilio patet, sed solum quando res sine iuramento potest expediri. Chrysostomus maximè insectatur iurandum per Deum, sed id facit vt in contrarium nitendo, consuetudinem prauam iurandi in populo reprimat.

16 *Obiect. 3.* Obicitur Tertio, Cap. 9. Clericum, 22. qu. 1. Concilium Carthaginense 4. decernit, *Clericum per creaturas iurantem esse acerrime oburgandum, & si persistit in vitio, excommunicandum.* Hieronymus etiam loco citato aperte docet, *Iudæos iurantes per creaturas, honore & obsequio diuino illas veneratos fuisse.* & Innocentius III. in c. Etsi Christus, de iureiur. dicit, *Dominus prohibuisse iuramentum non per Creatorem, sed per creaturas, ne per tale iuramentum transferretur ad creaturas honorificentia Creatoris.*

Respons. Respondeo, Cap. illud Clericum, loqui de iurante per creaturas more ethnico, tamquam Deos quosdam; (vt per Iouem, per Mineruam, per Solem.) quamuis enim non credantur dii, tamen turpe est Christiano & scandalosum sic iurare; quia externo actu videtur illis deferti cultus diuinus; & periculum est ne sensim putetur aliquid diuinum illis inesse. simili modo videtur intelligendum cap. Etsi Christus.

Quod si Iudæi hoc modo per creaturas iurauerunt, id factum more ethnico & ex praua intelligentia, hinc tamen non sequitur, quin bene fieri possit à rectè intelligente.

Obiect. 4. Obicitur Quarto, Iuramentum est cultus quidam Dei: atqui non licet cultum diuinum ordinare ad res humanas; ergo non licet vti iuramento ad contractus. Omnia solutione Caietani,

Resp. Respondeo Primo, Iuramentum esse cultum diuinum, non absolutè, sed in certo negotio, quando aliter fidem facere non possumus. sicut enim in aliis angustiis ad diuinam opem confugere possumus, ita in hac; idque Deo est honorificum. Secundo, Possumus vti re diuina ad finem humanum, quando alia ratio non suppetit, & illa res non æstimatur ex solo humano commodo. Sic ad sanitatem consequendam vtimur aliquando Sacramentis, reliquiis Sanctorum, votis, &c. & Deus ad hominum salutem vsus est incarnationis mysterio.

Ex his satis constat, iuramentum esse licitum, etiam ad humanos contractus.

17 *Tres comites iuramenti.* Vt tamen in vfu non peccetur, requiruntur tres comites, vt docet D. Thomas art. 3. & ceteri Doctores, videlicet, *veritas, iustitia, & iudicium*, quæ insinuantur Ieremiæ 4. *Iurabis, vnius Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* quali dicat, non iurabis tunc amplius per idola, sed per Deum verum, idque super re vera, & iusta, & cum debita discretionem & reuerentia.

Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit

iuranti, est peccatum mortiferum. Debet enim esse moraliter certum id ad quod Deum in testem vocamus; alioquin exponimus nos periculo faciendi enim testem falsi. Fieri tamen potest vt sit peccatum veniale; vt si iures ex aliqua negligentia cognoscendæ veritatis, non tamen graui. Ita Silueiter v. Periurium, qu. 1.

Si iustitia desit, id est, si res non sit licita, erit peccatum mortale, vel veniale, pro grauitate materiae, vt infra num. 18. dicitur.

Si iudicium, vt si super re leui, vel quæ maius bonum impediatur, ferè non erit pluraquam veniale. ita communiter Doctores.

DVBITATIO IV.

Quando iuramentum promissorium liberè factum obliget, quando non.

18 **N**Otandum est, Id quod promittitur, vel est bonum exequi, vel est malum, vel indifferens. Item vel promittitur sub aliqua conditione, vel sub nulla.

Dico Primo; Si executio eius quod est promissum, est peccatum, iuramentum promissioni adiectum non obligat, intulit enim contradictionem, obligari quæpiam ad peccatum: tali iuramento dicitur deesse iustitia.

Petes, Quale peccatum est, si iures te facturum aliquid, quod scis esse peccatum?

Iurans id, quod scis esse peccatum. Respondeo, Si desit animus exequendi, erit periurium, defectu veritatis primario requisitæ; ac proinde erit peccatum mortale. Si autem adsit animus, iam ratione illius affectus, quem includit, erit peccatum mortale vel veniale pro grauitate operis exequendi.

An autem per se, quatenus est testificatio Dei super re illicita faciendæ, habeat distinctam malitiam, dubitari potest. Multi Doctores sentiunt, si opus quod te iuras facturum, sit peccatum mortale, iuramentum quoque mortale futurum; si opus sit veniale, iuramentum fore veniale. Ita Sorus lib. 8. q. 1. art. 3. Caietan. art. 7. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1. & alij. Sed hæc sententia difficultatem habet: vel enim Deum adducis solum vt testem propositi tui, & operis futuri; & sic non videtur referre vtrum opus sit peccatum mortale an veniale: vel vt approbatorem & sponsorem; & sic vtroque videtur esse peccatum mortale. nam facere Deum approbatorem peccati venialis, est blasphemia. Deinde Deus non adducitur in iuramento vt approbator aut sponsor, sed solum vt testis: qui enim aliquem testatur, non agit vt ille approbet vel spondeat, sed solum vt veritatem latentem aperiat, & vt idem dicat quod ipse dicit: ergo si veritas subsit, non videtur in ratione iuramenti esse peccatum mortale.

Dices, In eo est magna irreuerentia, quod auctoritate diuina se velit firmare in malo proposito, quasi Deo placeret, & ipse vellet illud fieri.

Obiectio. Respondeo, Non apprehendit opus tamquam Deo placens, nec cupit vt Deus illud approbet; sed concipit confusè, esse immutabile, quod iuramento confirmatum fuerit, & sic adhibet illud, vt suum malum propositum immutabile reddat: quia in re est quidem magna inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Verum

Verum cum contraria sententia ferè sit communis, ab ea non est recedendum. Itaque si id, quod iuramento quis proponit facere, sit peccatum mortale, ipsum quoque iuramentum ex parte sua malitiam mortalem habebit; nisi forè inaduerterentia excuset.

19 Dico Secundò, Pari ratione non obligat, quando promissio, cui additur, tribuit licentiam peccandi, aut est contra legem, aut contra publicam utilitatem. Vide supra cap. 17. dubit. 7. numer. 54. ubi allata sunt exempla, & ratio singulorum explicata.

Promittens latroni non denuntiatio.
Ex quibus sequitur, Eum, qui promissit latroni, se illum non denunciaturum iudici; si agitur de delictis committendis, non teneri: quia daretur licentia peccandi. Si autem de commissis, vel ille est status rerum vel denuntiatio sit præcepti, & tunc cessat obligatio iuramenti; quia non obligat contra præceptum Superioris: vel solum est consilij, & tunc non veris posse denuntiari, nisi relaxetur vinculum iuramenti. quia cum sit in fauorem alterius, & possit sine peccato seruari, videtur obligare donec relaxetur. Nisi forè agatur de denuntiatione Evangelica necessaria ad emendationem. Vide Panormitan. in cap. Quemadmodum. 25. de iureiur. num. 7. & 14. Si tamen iuramentum de non accusando vel denunciando criminaliter ob crimen commissum esset metu extortum, probabile est non obligare, vt infra n. 26. dicitur.

20 *Indifferens, & minus bonum.*
Dico Tertio, Si quis iuret aliquid se facturum quod est indifferens vel quod non fieri est melius; non obligatur, nisi forè sit factum in fauorem alterius. Colligitur ex D. Thoma art. 7. Caietano ibidem, & in Summa v. Periurium. Nauarro cap. 12. n. 12. Soto l. 7. q. 1. art. 3. circa 2. conclus. vbi dicit esse in hoc eandem rationem voti, & iuramenti.

Probatur, Quia quando iuramentum non est in fauorem alterius, solum potest obligare per modum voti, cum solum Deum respiciat: atqui votum de re tali non obligat; ergo nec iuramentum. Secundò, Quando iuramentum factum est in fauorem alterius, non obligat ipso nolente, vel condonante debitum: ergo si factum sit in proprium fauorem, non obligabit, si is, qui fecit, mutet propositum, & nolit impleri. Exempla sunt, Si iures te hodie non ambulaturum, non egressurum domo; vel contrarium huius, nullo sine honesto, sed vel ex indignatione, vel ob aliquod commodum aut incommodum naturæ. Item si iures te initurum matrimonium absque vlla promissione alteri facta, non daturum eleemiosynam, non mutuaturum, &c.

21 *Obiectio.*
Dices, Teneris facere ne Deum adduxeris in testem falsi: si enim non facis quod iurasti, falsum erit, Deum que falsi testem feceris.

Resp. Non iuratur tunc falsum.
Respondeo, Non fore falsum; quia huiusmodi iuramenta habent tacitam conditionem, Nisi mutauero, Nisi aliter visum fuerit. cum enim nullius intersit ea impleri, præterquam iurantis; iure suo cedere potest, & sibi ipse condonare.

Dixi, Nisi factum sit in fauorem alterius: tunc enim obligat, etiam si sit de re indifferenti, nisi ille remittat; quia in promissione facta homini, spectatur quid gratius sit homini, non quid in se melius. Secus in promissione facta Deo, cui semper magis placet quod est melius.

Dico quarto, Quando promissio vel propositum de re bona habet tacitam aliquam conditionem, vel restrictionem, siue ex mente loquentis, siue ex dispositione Iuris, vel recepta consuetudine; iuramentum illi appositum censetur eandem conditionem habere: est communis DD. de qua vide Couarruiam in cap. Quamuis pactum. p. 2. §. 4. in principio. Probatur, quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit; accessorium enim sequitur naturam principalis; vt habet regula Iuris 42. in Sexto. Itaque si actus habet tacitam conditionem, etiam iuramentum habere censetur.

Confirmatur, quia iuramentum non additur promissio, propositum vel contractus aliter accipitur quam per se accipi solet, sed vt eo modo intellecta, quo solent intelligi, non possint reuocari. Itaque non tollit nec excludit solitas conditiones. Exempla sunt: Iurasti Petro seruare promissa, subintelligitur tacite, nisi ipse quæ tibi promissit non seruet. Facta pace cum inimico, iurasti te illi non nociturum; nimirum ex causa præterita, siue, Nisi ipse causam nouis inimicitias dederit, aut nisi ob flagitia proseribi contigerit, &c. Iurasti puellæ te illam ducturum, scilicet, Nisi ipsa fornicetur, vel in morbum incurabilem, paupertatem, infamiam, &c. incidat, vel nisi ipse Religionem ingressus fueris. Iurasti seruare secretum, scilicet, Nisi vergat in damnum alterius. Iurasti te castigaturum filium vel famulum, scilicet, Nisi forè inde nasceretur malus incommodum, vel nisi veniam deprecando impetrauerint, vel ob aliquam causam aliud expediens visum fuerit. Iurasti parere Superiori, scilicet, Nisi excommunicetur; nisi officio priuetur. Iurasti honoris causâ te non processurum alteri, scilicet, Nisi te cogat: cum enim sit in fauorem ipsius, censetur relaxare, dum non vult prior intrare; vel subintelligitur, quantum in te est, vt vult Caietanus art. 7. & Nauarr. numer. 5. Promissisti aliquid absenti cum iuramento; sed nemo iuramentum nomine ipsius acceptauit, vel certe is qui acceptauit, non poterat validè acceptare; non teneris; quia promissio habet hanc tacitam conditionem, Si validè acceptetur. Hoc tamen intellige, nisi alia sit mens iurantis, vt si intendat illam tacitam conditionem excludere, tunc enim tenebitur, ne Deum faciat testem falsi; nisi is in cuius fauorem factum est, condonet: vel nisi iuramentum habeat vim voti, aut fiat intuitu pietatis: vt si iures te fore Religiosum. Si enim intendas id Deo promittere, habet vim voti. imò est tacitum votum iuramento confirmatum, itaque Deus illud acceptat, nec potes villo colore resiliire, cum duplici vinculo tenearis. Si autem non intendas quidem promittere, sed solum proponas intuitu pietatis, & vt te in proposito confirmes, apponis iuramentum, non habebit quidem vim voti, quia deest intentio promittendi; tamen necessario seruandum iuramentum, ne Deum facias testem falsi: quia non habet tacitam conditionem, quæ salutatem excludat. cum enim factum sit studio salutis, redundat in honorem Dei: ac prouide interest Dei, propositum illud impleri. quare accedente iuramento, planè confirmatur. Itaque etsi propriè non habeat vim voti, est tamen voto simile. Quod dictum est de tacita conditione, idem dicendum de quavis alia restrictione seu limitatione. Iurasti seruare statuta Capituli, scilicet, Quæ nunc sunt in vigore, &

22
Tacita conditio vel restrictio.

Varia exempla.

Mens iurantis spectanda.

maioris momenti, seu quæ ex vi iuramenti sunt in usu: non enim se iuramento vult astringere ad minima; neque ad ea, quæ non seruantur, vel si seruentur, non ex religione iuramenti: neque etiã ad statuta futura, nisi aliud intenderit. Iuramentum enim strictam habet interpretationem ob periculum animæ; vt docet Panormitan. in cap. Clericus, de Iureiurando, Siluester Iuramentum 4. q. 2. 3. Iurasti dicere in causa quidquid nosti, scilicet, Si secundum ordinem Iuris dici debet, non autem si occultum sit.

Hæ & similes condiciones in iuramento promissorio sunt expendendæ, vt sciatur eius obligatio. Insunt autem hæ condiciones promissioni cui iuramentum apponitur, interdum ex parte rei promissæ, siue ex dispositione Iuris id fiat, siue ex natura rei, siue ex communi hominum intelligentia vel consuetudine; interdum ex parte ipsius promittentis, qui talem conditionem tacite vel expresse apponit. Numquam autem iuramento appposito huiusmodi condiciones exclusæ censentur, nisi quando ipsum in eum finem apponitur, vt excludantur, ne promissor se per illas ab executione promissionis possit eximere.

D V B I T A T I O V.

Vtrum violatio iuramenti promissorii, præsertim in re parua, sit peccatum mortale.

23
Violatio
iuramenti
in re ma-
gna.

Respondeo, Si promissio sit rei notabilis, violatio iuramenti erit peccatum mortiferum. Est communis sententia Doctorum. Probatur, Quia iurando, quantum in te est, facisti Deum testari non solum te habere animum faciendi, sed etiam te facturum, nisi iustum impedimentum interueniat. Itaque nisi facias, quantum in te est, facis vt Deus falsum testatus sit.

In re parua, an sit peccatum mortale. Sententia Caietani.

Sed difficultas est, si in re parua violetur. Caietanus art 7. distinguit. Vel enim, inquit, res parua est tota materia promissionis, vel pars solum. Si sit tota materia, violatio iuramenti in re parua erit peccatum mortale; quia tota promissio violatur; vt si iuramento promiseris assem, & nihil soluas. Si autem solum sit pars materiæ, erit tantum peccatum veniale; vt si promiseris tres aureos, & vnum assem in solutione prætermittas. Idem tenet Couaruias lib. 1. variar. c. 1. n. 2. Simili modo distinguit in voto.

Alij generatim docent, si res promissa sit parua, siue ea sit tota materia, siue pars tantum, non fore nisi veniale; Siluester, Iuramentum 4. q. 1. Sotus lib. 8. q. 1. ar. 7. & q. 2. ar. 3. Nauar. c. 12. n. 10. Idem tenet Antoninus p. 2. tit. 10. c. 4. §. 1. Vtraque sententia probabilis est.

Verius est esse peccatum mortale.

Verius tamen videtur, violationem iuramenti in re parua, si serio promissa sit, nec sit aliquid quod excuset, esse peccatum mortale, siue sit tota materia, siue pars. Ita Gabriel in 3. d. 22. q. 2. conclus. 4. & 7. Tabiena v. Iurament. n. 11. Caietan. in Summa v. Periurium, Fumus eodem, num. 12. Valentia disp. 6. q. 7. puncto 2.

Probatur Primò, Qui rei paruæ promissionem, quã iuramento confirmauit, non implet, is quantum in se est, facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cum sit magna in Deum in-

iuria: ergo. Maior probatur, quia dum ita iuras, ipso affectu & quantum potes, facis Deum testari te hoc præstiturum: ergo si non præstes, cum possis, facis quantum in te est vt Deus falsum testatus sit. Secundò, Eiusdem rationis est, falsum reddere id, quod Deus antea testatus est, & facere vt Deus in præsentem falsum testetur: atqui hoc est peccatum mortale, siue res sit parua, siue magna; ergo & illud. Tertiò, Homo sub peccato mortali tenetur curare vt sit veritas in iuramento assertorio. idque idèd ne Deum faciat testem falsi: ergo sub eadem obligatione tenetur curare vt etiam in promissorio sit veritas. Solum est differentia, quòd veritas iuramenti assertorij debeat esse præterita, & sit speculatiua: veritas promissorij sit futura, pendens ab ipso iurante. Sed hæc diuersitas non facit vt ipse non teneatur pari modo procurare, esseque sollicitus vt verum sit quod iurauit. Quartò, Iuramentum respicit materiam non quatenus est magni vel parui momenti, multum vel parum vtilis homini; sed quatenus vera: ergo ex magnitudine vel paruitate materiæ non debet iudicari eius obligatio, sed ex veritate: atqui omnes veritates sunt eiusdem rationis in ordine ad testimonium diuinum: eiusdem enim rationis est, in re parua, & in re magna falsum testari: ergo eiusdem rationis est, in re magna & in parua Deum testem falsi facere.

Aduerte tamen, non esse peccatum mortale, si putet promissarium non curare rem paruam, & facile condonaturum; modò alioquin paratus sit soluere, si secus esset. quo modò is, qui iurasset dare tres aureos, & in solutione omitteret vnum assem, posset excusari: vel si promissio habeat aliquam tacitam conditionem aut restrictionem; tunc enim iuramentum non violatur vlla ex parte, sed integrè impletur iuxta mentem iurantis.

Petes, Cur iuramenti violatio in re parua potius est peccatum, quàm violatio voti in simili?

Respondeo, Quia in voto spectatur an res sit parua an magna in ordine ad honorem Dei. Si parua, non censetur honor Dei ex violatione voti nisi parum lædi; & sic solum est veniale. in iuramento hoc non spectatur, sed solum curatur vt sit verum quod iuratur; quia Deus adducitur in testimonium veritatis.

D V B I T A T I O VI.

Vtrum iuramentum promissorium metu graui extortum obliget.

Videtur non obligare. Primò, Quia talis promissio est irrita, vel saltem arbitrio promittentis potest in irritum reuocari; vt ostensum est supra c. 17. dub. 6. ergo & iuramentum illi appositum: nam iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit. Secundò, Votum tali metu extortum non obligat, vt ostensum est c. 40. dub. 3. ergo nec iuramentum. Tertiò, Tali iuramento deest consensus; nihil enim tam contrarium consenti, quàm vis & metus; vt habetur L. Nihil consentiui. 7. de regul. Iuris. Quartò, cap. Quamuis pactum. 2. de pactis, in 6. dicitur: *Pactum, si iuramento, nec vi nec dolo præstito, firmatum fuerit, omnino seruari debet.* ergo à contrario sensu, si vi vel dolo præstitum sit, non debet seruari. Confirma-

firmatur, quia iuramentum dolo elicitum non obligat, ut dicemus dubitatione sequenti. ergo neque metu extortum: quia vis & dolus aequiparantur. ut patet d. cap. Quamuis pactum. Quinto, L. 2. C. si aduersus venditionem, dicitur: *Per vim autem vel metum iustum extorta (sacramenta) extorta a maioribus, maxime ne querimoniam malefactorum commissorum faciant, nullius esse momenti iuramenti.* Ob hæc & alia argumenta plurimi tenent, huiusmodi iuramenta esse inualida, nec egere relaxatione. ita sentit Panorm. in cap. Cum contingat. 28. num. 3. de iureiur. vbi docet, quando actus secundum se est lege prohibitus (id est Iure irritus, vel in irritum reuocabilis, ut exponit Couarruias l. 1. variar. c. 4. n. 6.) iuramentum quoque metu appositum esse irritum. pro qua sententia citat Vincentium Mediolanensem in signem Canonistam; Panorm. sequitur Alciatus in d. cap. Cum contingat, not. 3. Felinus in c. 2. de iureiur. Francus in cap. 2. de pactis, in 6. & D. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 6. §. Quintus casus. Hi omnes docent non esse opus absolutione, quando iuramentum metu præstitum fuit super contractu inualido, ut refert Couarruias de matr. p. 2. c. 3. §. 5. num. 2. Idem tenent multi alij quos citat Sancius lib. 4. de matrim. disp. 20. num. 3. dicitque sententiam esse probabilem, eamque in praxi seruari apud Iudices seculares affirmat Couar. l. 1. variar. c. 4. n. 7. nimirum quatenus eum, qui sic iurauit, admittunt ad agendum ante absolutionem à vinculo iuramenti.

Sententia
multorum
D.D. non
obligat.

Contraria
sententia.

Verum contraria sententia est multo probabilior, & meo iudicio pæne certa, nempe tale iuramentum metu expressum obligare, modo factum sit animo obligandi, & de re licita. Est communis sententia Theologorum in 3. d. 39. D. Thom. & Caiet. q. 89. art. 7. Idem tenent plerique Canonistæ, quos citat Couar. de matrim. supra, & Alex. Imolenis in cap. Verum 15. de iureiur. dicit esse opinionem communem.

Probatur Primò, ex Canonibus cap. Si verò. de iureiur. vbi de eo, qui grauissimo metu compulsus fuerat renuntiare beneficio suo, & eam renuntiationem religione iuramenti confirmare, dicitur debere petere absolutionem. & ratio additur, *Quia non est tutum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis eterne.* & cap. Verum, eodem tit. dicitur, eos, qui inuiti pro vita aut rebus seruandis iuramenti vinculo se obstrinxerunt, esse absolueandos: ita enim consueuisset facere Romanos Pontifices. Vide plura supra cap. 17. dub. 7. num. 51.

Probatur Secundò, ratione, quia Iure nature tenemur efficere ut verum sit quod iurauimus, ne Deum faciamus testem falsi: hoc enim est magna iniuria in tantam Maiestatem; quam ne committamus, ante mors nobis præoptanda. Neque refert vtrum id, quod iuramento promissum est, sit per se actus virtutis, an non; sufficit rem esse indifferentem, quæ sine peccato posita promissione fieri possit. Quod confirmatur, quia soluere vsuras non est per se bonum, sed potius habet speciem mali, cum præbeat occasionem maioris iniquitatis: & tamen si iuramento promissisti, teneris, cap. Debitores. 6. de iureiur.

Dixi, modo factum sit animo se obligandi, quia si absque tali animo factum sit, quidam docent non obligare: de quo infra dubit. 8. Idem dicendum si addiderit restrictionem aliquam, vel clausulam tacitam.

Hinc sequitur Primò, Eum, qui pro redimenda vita promissit cum iuramento latroni 100. aureos teneri soluere, ut docet Caiet. ar. 9. Sotus l. 8. q. 1. a. 7. & alij. etiam enim latro ex hac promissione nihil iuris acquisierit, ei que nulla iniuria fiat si non soluas; tamen Deus ius habet ut verificates id, ad quod illum restem adduxisti. Vbi tamen soluisti, potes repetere: quia momentanea solutione satisfacis, quando iniuria causam dedit. quòd si latro condonet, etiam coactus metu, non teneris. Idem dicendum si Praelatus absoluat, vel Superior latronis relaxet. Ratio est, quia hæc omnia tacite in tali iuramento subintelliguntur.

Sequitur Secundò, Eum, qui iureiurando promissit se rediturum ad carcerem, quamuis iniuriosum, teneri, etiam si sciat se iniuste plectendum. Ita Caiet. & Sotus supra, Silu. Iuramentum 4. q. 26. Toletus l. 4. cap. 22. Colligitur ex D. Thoma a. 7. ad 3. vbi dicit iuramentum coactum in foro conscientie inducere obligationem, etiam cum damno temporali. Probatur Primò, ista promissio fuit prudens; quia absque illa non poterat obtinere reditum ad res suas componendas: ergo eius executio est licita: licitum enim est exequi, quod prudenter promittitur. si licita: ergo si firmetur iuramento, est seruanda. Nec refert quòd res sint mutatae, sublato metu & coactione: quia circa rem promissam non est facta mutatio: promissit enim redire absolute, etiam si coactio & metus tunc absoluta essent; & tamen prudenter promissit: ergo etiam prudenter exequi potest. executio enim nihil est aliud quam promissionis completio. Secundò, Supposita promissione redeundi, iste reditus non solum est licitus, sed etiam est honestus, utpote opus virtutis fidei, veritatis, & fortitudinis, ut ex sensu omnium gentium constat: ergo si iuramentum accedat, nascitur obligatio. Tertio, Si quis violet tale iuramentum, communi iudicio censetur periturus, & iniurius in numen diuinum, quod in testem adduxit; nisi fortè eum aliqua restrictione animo concepta iurauerit.

Aduerte tamen, quosdam Doctores contrarium docere, scilicet non teneri redire, si carcer erat iniuriosus, ut tyranni, vel Iudicis non competentis; vel Iudicis legitimi; sed non precedentis secundum ordinem Iuris. Ita Nauarrus c. 12. n. 18. qui pro se adducit Tabienam v. Iuray. §. 10. Panorm. in cap. Si verò. 8. de iureiur. Glossam communiter receptam in Clement. Pastoralis, de sententia & re indicata. v. Per violentiam. Io. Andream in Spec. Rubr. de iureiur. Idem docet Couar. l. 1. var. c. 2. num. 7. vbi citat Baldum, Curtium seniore, Ancharanum, & Maiorem in 4. d. 15. q. 22. additque non solum non teneri redire; (de quo dicit non esse dubitandum) sed si redierit, grauer peccatè. Fundamentum huius sententiae est, quia redire in tali casu; est seipsum quodammodo occidere, & vitam suam prodigere: hoc autem est illicitum, quia tenetur homo vitam suam conseruare. Confirmatur Primò, Quia detentus tali carcere tenetur capessere fugam si potest: ergo si liber sit, non potest redire. Confirm. Secundò, Quia iuramentum non est seruandum quando vergit in deteriorem exitum;

27
Promittens
latroni
100.

28
Iurans
redire ad
carcerem.

29
Quorum-
dam sen-
tentia.

exitum, cap. Quintauallis, de iureiurando: at hinc vergit: ergo. Hinc sequitur, non solum non teneri, sed etiam non posse redire. Hæc sententia est probabilis & secuta in praxi, propter Doctores.

Est sententia probabilis.

Sed quod diximus est verius ob rationes allatas, vnde

Ad rationes.

Respondeo, Illud fundamentum non esse verum, qui enim ob iustam causam se in certum vitæ discrimen conticit, non censetur seipsum occidere, aut vitam prodigere. Nec homo tenetur quouis euentu vitam conseruare; sed si commodè & decorè potest: hinc autem iusta causa subest; tum ne videatur mendax, & promissi violator, quod minime decet virum granem; tum ne censetur periurus. Itaque exponit vitam propter opus virtutis, quod laudabile esse, ostensum est supra c. 9. dub. 6.

Ad Primam Confirmationem: Non tenetur fugere, si promisit, præsertim cum iuramento, non fugere. Imò etiam absque iuramento promiserit.

Ad Secundam: Tunc iuramentum censetur vergere in deteriorem exitum, quando executio est illicita; vel si sit licita, quando est maioris boni impeditiua, & iuramentum non est factum in fauorem tertij; vt si iurasti non ingredi Religionem. Colligitur ex D. Thoma art. 7. ad 2.

30 *Quale peccatum violatio iuramenti.*

Petes, Quale peccatum est violare tale iuramentum metu extortum? Multi Doctores, præsertim Canonista, putant esse solum veniale. Ita Panormitanus in cap. Si verò. 8. de iureiuran. Ioannes Andreas, Hostiensis, & alij in cap. Verum. 18. eodem, Angelus v. Periurium, nu. 7. vbi citat pro se Petrum Aureolum, Cardin. & I. Andream. Probat ex dicto cap. Verum. 18. de iureiur. vbi Pont. Cælestinus III. respondet, eos, qui iniuri pro vita vel rebus suis seruandis iurarunt, si non seruauerint, non esse tanquam pro mortali crimine puniendos.

Est peccatum mortale.

Sed communis sententia Theologorum est, esse peccatum mortale, præsertim si materia sit grauis, & is in cuius fauorem factum est, vel alius potestatem habens, non relaxet. Ratio est, quia facere Deum testem falsi, est grauis iniuria. Caiet. & Sotus supra. Nauar. num. 14. Siluest. Iuram. 4. qu. 7. & alij.

31

Ad cap. illud Respon. Tantum vult dicere, in foro ecclesiastico externo non esse puniendos pena Canonibus in periuros constituta; sed mitius agendum; quia metus culpam attenuat, & venia ex parte dignos reddit. Ita Glossa; vel vt Caietanus ait, hoc pertinet ad iudicium præsentis clementiæ Pontificiæ; alioquin eodem c. satis significatur eos esse periuros.

Ad argumenta in proposito.

Ad Primum argumentum nu. 26. positum Respondeo, Vt iuramentum obliget, non requiri vt promissio per se obligationem inducat; satis est vt executio eius sit licita.

32

Dicitur, Iuramentum sequi naturam contractus, non quoad esse firmum vel irritum, vt per se notum est; sed quoad conditiones tacitas, & alias limitationes, quas contractus ex Iure, consuetudine, vel contrahentium mente habet.

Dices, Promissio metu extorta habet hanc tacitam conditionem; Nisi ob iniuriam illatam reuocauero, aut obligationem elisero: ergo ratione istius conditionis poterit iuramenti vis elidi & non impleri.

Respon. Si talem conditionem dum iuraret expressè cogitauit, & saltem mente adiunxit, fateor

non teneri. poterat enim ratione iniuriæ quam patitur, huiusmodi restrictionem facere. Si autem de ea non cogitauit, sed simpliciter iurauit, tenetur: quia iuramentum eo sine exigitur, vt talis conditio, quæ aliàs Iure naturæ promissioni sic iniuste extorta inerat, excludatur, & promissor non possit vt iure quod alioquin ratione illius conditionis competebar. Itaque per iuramentum censetur & præsumitur vsus istius Iuris exclusus, nisi conditio illa expressè voluntate fuerit instaurata, siue interius in animo, siue exterius voce.

Ad Secundum: Alia est ratio voti, alia iuramenti; nam in voto spectatur solum verum executio operis sit Deo gratior, an eius omisio. In iuramento, verum executio sit licita, & promissario commoda.

Ad Tertium: Non deest consensus, qui Iure naturæ ad substantiam actus est necessarius: qui enim metu consentit, absolute, voluntariè, & libere consentit; secundum quid inuoluntariè, hinc dicitur consentire voluntariè mixtè. vide supra cap. 17. num. 43.

Ad Quartum: Solum inde sequitur, non debere seruari omnino; id est, ita vt non possit obtineri relaxatio. Illud enim omnino excludit dispensationem, vt inquit Glossa in cap. 2. de pactis, in 6. & Archidiaconus ibidem. Confirmatur: Et si vis & dolus in multis alijs æquiparentur, tamen hæc in re minime. nam metus non excludit consensum plenum sicut dolus.

Ad Quintum: Illud Authent. non videri receptum ab Ecclesia, ne via sternatur periuriis. Imò expressè videtur ei derogatum per c. Verum. 15. & cap. Si verò. 8. de iureiur. & cap. 2. de pactis, in 6. quibus locis dicitur iuramentum seruandum, quando non vergit in detrimentum salutis æternæ. Excipiendum tamen videtur iuramentum de non facienda querimonia malefici, id est, de accusando vel denunciando; quod videtur statim irritum reddi, si metu sit extortum. Id enim bonum publicum postulare videtur. alioquin non posset hæc querimonia sine periurio fieri, quod in damnum publicum redundaret. Verius tamen puto, etiam hoc iuramentum, nisi à Superiore relaxetur, obligare, excepto casu quo tenetur denunciare ad malum impediendum, vel quo iuridicè interrogatur, ob regulam illam generalem, quia extra illos casus non vergit in detrimentum salutis æternæ.

DVBITATIO VII.

Vtrum iuramentum dolo vel errore extortum obliget.

Notandum est, dolum & errorem posse ver-
lati vel circa substantiam rei, vel circa qua-
litatem. Si circa substantiam, vt si putes vitrum
esse gemmam, vel aurichalcum esse aurum; cer-
tum est, iuramentum appositum contractui, cui
talis error causam dederit, irritum esse, quia deest
consensus. itaque qui læsus est ex huiusmodi
contractu vel promissione; non tenetur; quia
mens ipsius non fuit contrahere super hac re, sed
super alia.

Sed difficultas est, si dolus versetur solum circa
rei qualitatem, vel causam promissionis aut con-
tractus, qualitat.

tractus. Doctores generatim docent, si dolus causam dederit, iuramentum non obligare. Probatur Primò, Quia ubi dolus est, excluditur voluntas, L. 1. 7. de dolo. Secundò, Quia iuramentum non obligat extra mentem & intentionem iurantis, cap. Quintauallis. & cap. Veniens, de iureiur. atqui intentio iurantis non est se hoc casu obligare; nam mens eius tacite repugnat: si enim sciret rei qualitatem, nollet contrahere. Tertio, Quia Deus non acceptat iuramentum, nisi secundum intentionem eius qui bona fide iurat, non autem secundum intentionem eius qui fraude extorsit; cap. Humanae aures. 2. qu. 5. Ita Nauar. cap. 12. num. 13. ubi insinuat hanc sententiam esse communem; Silu. Iuramentum 4. q. 8. ex Archid. Panor. Ioan. Andrea, & Frederico. Idem qu. 19. Emmanuel Sà v. Iuramentum. Idem expressim docet Panorm. in cap. Cum contingat. 28. num. 3. & 23. de iureiurando; cuius opinionem esse communem fatetur Alciatus in illud notab. 3. D. Anton. par. 2. tit. 10. cap. 6. §. Quintus casus. ubi docet, quando dolus dat causam contractui, iuramentum non egere absolutione: ubi non dat causam (vt si voluisset contrahere, etiamsi non fuisset deceptus) tunc iuramentum requirere absolutionem: & hanc debere facile dari in odium deceptoris. Couar. lib. 1. variar. cap. 4. n. 6. approbat sententiam Panormitani. omitto alios.

Est sententia probabilis.

Hæc sententia mihi omnino videtur vera, tum ob rationes allatas, tum maximè ob has, Primò, Quia promissio, cui error vel dolus causam dedit, etiamsi (quando non fuit error circa substantiam rei vel causam principalem, & quasi formalem ipsius actus) per se obliget donec reuocetur; tamen detecto errore potest in irritum reuocari, idque vel ob tacitam conditionem, quæ huiusmodi promissioni inesse censetur, scilicet, Nisi rem talem vel talem esse deprehendero; vel ob tacitum dissensum & repugnantiam animi; vel quia prudenti iudicio talis euentus censetur exceptus: etsi hæc tria parum differant. Accedente autem iuramento, hæc conditio & exceptio non tollitur, iuramentum enim non additur, vt mutet qualitatem actus, sed vt illum secundum naturam ipsius confirmet. Vnde dici solet, Iuramentum sequi naturam actus super quem cadit. Itaque actus retinet omnes suas condiciones & tacitas restrictiones, quas aliàs per se habet: nisi iuras expressè aliud intendat, volens sibi etiam in illis libertatem adimere. Secundò, Quia iuramentum promissorium interpretandum, si res in eodem statu permanerint; si notabiliter mutata non fuerint, vt docet Siluester Iuramentum 3. quæst. 1. §. Nam tertio, ex communi sententia Doctorum, atqui non censetur manere in eodem statu, quando postea aliquid se aperit, quod antea latebat: nam paria sunt in Iure, aliquid superuenire, & apparere seu incipere cognosci: sicut è contrario paria sunt, non esse, & non apparere; vt colligitur L. 77. 7. de contrahenda empt. Denique quotiescumque post iuramentum aliquis casus euenit, quem prudenti iudicio non censeris voluisse tua promissione comprehendere, non obligaris ex vi iuramenti: ergo si ab initio idem casus subsit, sed ignoretur, non censetur comprehensus promissione, ita vt obligeris quando sciueris.

35 Explico exemplis. Primò, Iuramento promissisti puella nuptias, putans esse virginem; postea in-

telligis occultè fornicatam; non teneris iuramento, quia error dedit causam promissioni: non enim voluisses promittere, si sciuisses; & iudicio prudentis hic euentus censetur exceptus.

Secundò, Iuramento promissisti emere domum Petri, quia putabas bonam; postea deprehendis vitium in fundamentis, vel esse subiectam lemurius; non teneris, ob eandem causam.

Tertio, Puella dolo inducta à fratribus, renuntiauit cum iuramento hereditati paternæ pro certa dote; non tenetur, si hereditas multò pluris valebat; vt docet Fredericus consil. 115.

Quartò, Vendidisti domum tuam, & iuramento promissisti stare contractui; postea deprehendis te graniter læsum, potes agere ad supplementationem pretij: non enim iuramento intendisti cedere iure tuo, si deceptus esses in pretio; omitto alia. Neque contra hanc sententiam sic explicatam sunt vlla argumenta difficilia. Secus non nihil se res habet in votis; quia promissio fit Deo, vt patet ex dictis c. 40. dubit. 2. vnde si semel est valida, non potest in irritum reuocari propter ea quæ postea se aperiant. secus in promissione quæ fit homini, quæ potest reuocari errore detecto: & hoc sensu iuramentum dicitur inualidum.

DYBITATIO VIII.

Vtrum si quis ficto animo aliquid iuramento promittat, obligetur, & quale peccatum hoc sit.

NOtandum est, in iuramento promissorio posse distinguere tria externa, scilicet iuramentum externum, promissionem, & executionem: & tria interna, scilicet intentionem iurandi, intentionem promittendi seu obligandi seipsum, & intentionem exequendi. Itaque tribus modis fieri potest vt quis animo ficto iuret. Primò, Si quis exterius iuret sine animo iurandi. Secundò, Si iuret animo quidem iurandi, non tamen se obligandi. Tertio, Si iuret animo non implendi.

Si primo modo iures, scilicet absque animo iurandi, non obligaris ex vi iuramenti coram Deo; quia reuera non iuras, nec intendis iurare aut Deum testari, sed simulare & fingere te iurare, sicut qui fingit se contrahere matrimonium, exterius verba contractus pronuncians absque animo contrahendi, non obligatur contractu matrimonij. Similiter qui fictè promittit, non obligatur vi promissionis, denique omnis actus, qui essentialiter requirit intentionem agentis, est inualidus, si ea intentio desit; vt patet in collatione Sacramentorum, excommunicatione, absolutione, &c. quod maximè locum habet in promissione, donatione, & contractibus, quorum vis tota ex intentione pender.

Aduerte tamen, si occasione talis iuramenti obueniat damnum parti, teneris illud sarcire, quia causam dedisti: nisi fortè per iniuriam extortum fuisset; tunc enim iure tuo aduersus illum vt censeris sic iurando. Similiter si scandalum iuramento non seruat naceretur, teneris ratione scandali. Denique in foro externo cogèris seruare prout sonat; nisi fortè metu extortum fuisset: tunc enim est per Iudicem relaxandum.

36
Triplet
fidei iurandi
potest.

Si desit
animus
iurandi.

Si hoc sit
causa damni.

De

37
Si desit
invento
obligandi.
Prima sen-
tentia non
obligari.

De secundo modo est maior difficultas, suntque duae sententiae. Prior est, eum, qui iurat animo se non obligandi, non teneri vi iuramenti. Ita D. Bonaventura in 3. d. 39. ar. 3. q. 2. Scotus ibid. q. vni- ca, art. 3. Silu. Iuramentum 4. q. 7. vbi citat Panormit. & alios, & q. 19. Angel. Iuramentum. 5. n. 31. vbi citat Richardum, & alios, Gabriel d. 39. quaestio. 1. art. 2. concl. 5.

Probari potest haec sententia, Primò, Qui in aliquo contractu apponit clausulam, quae sit contra substantiam contractus, non obligatur; quia talis clausula irritum reddit contractum: vt si contraham matrimonium, ita vt nolim obligari ad reddendum debitum, aut ad vinculum perpetuum: si vendam domum, ea lege vt eam à me non alienem: si promittam alicui 100. aureos, sic tamen vt nolim teneri: atqui hic apponitur clausula, quae sit contra substantiam iuramenti; ergo iuramentum non obligat. Nec refert quòd verbis non exprimitur, quia exprimitur mente, à qua sola contractus vim habet. Secundò, Qui ita iurat, reuera non habet animum seriò iurandi, sed solum exteriùs verbis; sicut qui contrahit matrimonium cum animo non se obligandi ad reddendum debitum, non censetur seriò velle contrahere: nemo enim potest simul intendere contradictoria. quòd si putet se posse sic contrahere, decipitur, nec ideo contractus vim habet. Tertiò, Deus non acceptat iuramentum, nisi secundum hominis intentionem, cap. Humanæ aures. 2. quaest. 5. vbi dicitur, *diuina iudicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intus profertur.*

Haec sententia est valde probabilis, quia ferè communis, & rationibus probabilibus nititur.

38
Altera est
verior.

Altera est, Tale iuramentum, si seria intentione iurandi factum sit, obligare, etiam si animus se obligandi defuerit. Ita Caietanus ar. 7. circa Responf. ad 4. quem sequitur Scotus l. 8. q. 1. art. 7. & multi recentiores; quae mihi videtur verior.

Probatum Primò, Quia obligatio est omnino inseparabilis à iuramento promissorio; nec est in potestate hominis, efficere vt sit tale iuramentum, & ex eo non nascatur obligatio. Secundò, Quicumque aliquid iurat, tenetur efficere vt verum sit quod iurat, nec vlla arte potest hanc obligationem euadere; quia cauendum ei quam maximè, vt non adducat vel adduxerit Deum in testem falsi: ergo tenetur exequi quod iurauit se facturum, volente eo in cuius fauorem iurauit. Tertiò, In iuramento promissorio est duplex veritas; praesens, scilicet quòd habeas animum implendi: & futura, quòd re ipsa implebis: sed non potes efficere vt non obligeris ad veritatem praesentem: ergo neque vt non astringaris ad futuram. Quartò, Ex iuramento nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi, vt in contractibus; sed ex natura operis, sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis; & ex facto vnde damnum meretur, nascitur obligatio impediendi: ergo etiam si intentio obligandi absit, nihilominus orietur obligatio vi iuramenti.

39
Responde-
tur ad ra-
tiones di-
uersa sen-
tentia.

Ad Primam rationem contrariae sententiae Respondeo, Hoc esse verum in contractibus, quorum obligatio tota pendet ex intentione: nam hi consistunt in eo, quod est se obligare alteri, & alterum sibi: secus in iuramento, quod consistit in eo, quòd Deum adducat in testem veritatis praesentis vel futurae: hoc enim efficaciter facere potes, etiam si

dicas te eius reuerentià nolle teneri ad exequendum; nam nihilominus tenebris, ne eum facias testem falsi circa executionem. Itaque talis clausula, Quòd nolis obligari, non potest efficaciter addi iuramento promissorio, sicut nec contumeliae, nec detractioni, vel alteri actui, ex quo secutum est damnum vel alia iniuria in alterum. Ad do, illam clausulam non esse contra substantiam iuramenti; quia potest Deus verè in testem adduci, etiam si nolis eius reuerentià obstringi; sed vt summum est contra effectum.

Ad Secundum: Negandum est, talem non habere animum iurandi; supponimus enim, illum velle adducere Deum in testem, quamuis inde nolit obligari: nam simili modo potest quis testari Regem, & nolle teneri eius reuerentià vel sponfione.

Ad Confirmationem: Non potest quis intendere contradictoria expressè, & efficaci affectu: potest tamen implicite & ineffaciter; vt quando quis vult peccare, & tamen non vult esse reus mortis aeternae.

Ad Tertium: Deus non acceptat, &c. Hoc intelligendum est quoad id quod quis iurat, non autem quoad modum obligandi vel non obligandi.

Ex quibus apparet discrimen inter votum & iuramentum: qua in re falluntur Caietanus, Sotus, & quidam recentiores, putantes vtrobique esse eandem rationem: nam obligatio promissionis pendet ex intentione, obligatio iuramenti ex ipso facto externo.

Si tertio modo iures, scilicet absque animo implendi, quidam insinuant, non nasci obligationem. Silu. enim, Iuramentum 4. q. 26. ex Panorm. dicit, eum, qui iurauit se rediturum ad carcerem iniquum, non teneri, si iurauit animo euadendi: secus si animo se obligandi; & D. Bonauent. in 3. d. 39. art. 3. qu. 2. aperte insinuat, eum, qui iurauit non animo implendi, sed euadendi periculum, non teneri. Confirmatur, quia quicumque habet animum non implendi, censetur etiam se nolle obligare, vt docet Valentia disp. 6. qu. 7. p. 4. quorsum enim veller si obligare, si nollet implere? Sanè si rogetur, statim diceret hanc esse mentem suam. Itaque sicut probabile est non teneri eum qui iurat absque animo se obligandi; ita probabile erit eum non teneri, qui animo non implendi; quia in hoc, illud tacite censetur contineri.

Haec sententia non videtur improbabilis, quando iuramentum iniquè extortum est. Contrarium tamen est verius & multò probabilius; vt patet ex iis, quae supra cap. 40. num. 7. de voto dicta sunt. Et probari potest, Primò, Quia est verum iuramentum, factum animo iurandi, & adducendi Deum in testem: ergo inducit obligationem verificandi quod iuratum est, ne facias Deum testem falsi circa executionem. Nec refert vtrum metu extortum sit an non: quia haec obligatio provenit ex natura iuramenti. Secundò, Quia in contractibus, animus non solgendi non tollit obligationem; ergo neque in iuramento. Tertiò, Prius est obligari quam exequi: obligatio enim non nascitur ab executione, sed executio ab obligatione; ergo ex eo quòd desit animus explendi, non tollitur obligatio, nec animus obligandi: quia sublato posteriore, non tollitur quod prius est. Denique haec est communis sententia Doctorum.

Ad Confirmat. Qui facit aliquem actum vnde necessàriò nascitur obligatio, non potest praesumi nolle

Quomodo
posse in-
tendi con-
tradictoria.

Discrimen
inter votum
& iura-
mentum.

40
Si absque
animo im-
plendi.

41
Animus
implendi
non requi-
ritur ad
obligatio-
nem.

nolle se obligare, nisi expresso actu id nolit; nam ipso actu contrarium facit: quod maxime locum habet in casu proposito; quia obligatio iuramenti non pendet ex intentione iurantis, ut dictum est, sed ex ipso facto. Nec obstat, quod diceret se nolle obligari, si rogetur; quia quiuis contrahens cum intentione non soluendi, idem diceret, si rogaretur; tamen non ideo censetur se noluisse obligare, cum absolute intenderit contrahere, & contrahendo se obligauerit. Itaque talis praesumptio locum non habet, quando factum contrarium obstat.

42
De culpa
grauitate
in 3. modo.

Quod ad grauitatem culpae atinet; si tertio modo fictè iures, videlicet absque animo implendi, erit perituum mortiferum: quia cum duplex veritas requiratur in iuramento promissorio; praesens & futura, deest veritas praesens, nempe animus exequendi. quod si postea non exequaris, accedet noua culpa letalis, quia deest veritas executionis, Deumque de nouo facies testem falsi.

In 2. modo.

Si secundo modo, ita ut ipsa fictio versetur circa obligationem, (ut cum non intendis te obligare) est etiam peccatum mortale, ut rectè Siluester iuramentum 4. q. 7. Primò, Quia deest veritas praesens, id est, animus exequendi; iurat enim se facturum, quod non intendit facere. Secundo, Quia non intendit se obligare; in eo enim est peculiaris irreuerentia, quod velit Deum adducere in testem, & tamen nolit eius testimonio obstringi. vnde videtur esse grauius peccatum sic iurare, quam solum animo non implendi. Confirmatur, quia si iurares animo implendi, nolendo te obligare non solum homini promissione, sed neque Deo ratione iuramenti; insignem iniuriam Deo irrogares: ergo addit peculiarem malitiam. quod si solum intenderes te non obligare homini, aliquod ius ei tribuendo, sed soli Deo ratione iuramenti, cum intentione exequendi; erga hominem non videretur esse peccatum mortale, quia nihil falsi significatur verbis iuramenti, & non deest animus obligandi, quem natura iuramenti requirit, etiam si desit animus promittendi homini.

In 1. modo.

Si primo modo, ita ut fictio sit circa actum iurandi, (ut cum non intendis iurare, sed simulare iuramentum) distinguendum est: vel enim id, quod iuras, est verum, vel est falsum. si est verum, probabile est non esse peccatum mortale, siue iuramentum sit assertorium, siue promissorium; quia nec homini notabilis fit iniuria, nec Deo grauis irreuerentia. Non homini; quia in opere externo idem futurum est atque si ex animo iurasses; & si opus sit, in foro externo ex tali iuramento cogi potes. Non Deo; tum quia reuera non adducitur in testem, sed solum id fingitur & simulatur; tum quia etiam externo actu adducatur; adducitur solum in testem veritatis.

Iurās veritas
absque animo
iurandi.

Contrarium tamen videtur verius, si iures mandato Iudicis, vel in contractu magni momenti: oportet enim tunc sincerè & ex animo iurare; alioquin censetur grauis deceptio, quae etiam euertit vltim & finem iuramenti, rebus humanis tam necessarium. Ita Caietan. supra art. 7. ad 4. Sotus art. 7. Si tamen iniquè exigeretur, non esset peccatum mortale sic iurare, ut Sotus docet contra Caietan. quia nulli fit iniuria.

43
Iurās veritas
falsum.

Si verò sic falsum iures, plerique putant esse peccatum mortale. Ita Caietanus & Sotus supra, Couarr. in cap. Quamuis pactum. 1. p. 5. num. 3. & alij passim, Ratio est, quia externo actu Deus

adducitur testis falsi; quod perinde est ac si quis offerret illi sacrificium Iudaicum, v. g. agnum vel vitulum, absque animo sacrificandi; vel adoleret thus idolo absque animo venerandi. Sed haec ratio non videtur conuincere, alioquin esset peccatum mortale iurare in tali casu cum restrictione mentali: nam externo actu Deus adducitur in testem falsi; & cum simili restrictione adoleret thus idolo, laudare Mahumetem, vel solemniter illa Turcarum verba pronuntiare, *Vnus Deus & propheta illius Mahumet*, est peccatum mortale. satis enim est, in honore exhibendo actum externum ita fieri, & cum illis circumstantiis, ut merito videri possit velle sacrificare, laudare, &c. Itaque contraria sententia videri possit non improbabilis, scilicet non esse id peccatum mortale, si per iniuriam cogaris, & falsitas sit penitus occulta: quia neque re ipsa iuras falsum, cum non intendas Deum in testem vocare, sed simulare: neque secundum prudentem estimationem potes censeri iurasse falsum; tum quia falsitas est penitus ignota, tum quia iusta causa erat alia mente iurandi. & in hoc casu locum habere possent sententia Panorimitant, Angeli, & aliorum, qui volebant iuramentum metu expressum non obligare sub mortali: de quo supra dubit. 6.

Verum fatius est tenere cum communi, ob rationem allatam.

DUBITATIO IX.

Verum si alio sensu quam alter intelligit iures, obligeris, & quale peccatum hoc sit.

Notandum est, hoc dupliciter fieri posse: Primò, Si oratio sit ambigua, & tu de industria alium sensum intendas, quam is qui iuramentum exigit. Secundo, Si non sit per se ambigua, sed illi tacite aliquam restrictionem addas. Rursus vel sponte iuras, vel compulsus ab alio, idque vel Iure vel iniuria.

Dico Primò, Qui alio sensu iurauit, non tenetur praecise ex vi iurandi, nisi iuxta suum sensum. Ita Couarr. in cap. Quamuis pactum. p. 1. §. 5. in principio, Caietan. & Arragonius art. 7. ad 1. Sotus l. 8. quaest. 1. art. 7. circa 4. argumentum, & multi alij. Probat Primò, Iurandum vi sua solum obligat ad id quod per ipsum est confirmatum & assertum; quia ad hoc solum is qui iurat, Deum in testem adduxit: sed solum id assertum est, quod iurans in mente habuit: ergo solum ad illud praestandum obstringit. Secundo, Quia iuramentum sequitur naturam promissionis, cui accedit: atqui promissio non obligat ultra intentionem promittentis; ergo nec iuramentum. Tertio, *Humana aures talia verba nostra indicant, qualia foris sonant. Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. apud homines, cor ex verbis; apud Deum vero verba pensantur ex corde;* ut ait Gregorius l. 26. Moral. cap. 7. & habetur 22. q. 5. cap. 11. Humanae aures, ergo cum ex intimis alio sensu proferantur, Deus etiam sic ea accipit, & ita illa confirmare censetur.

44
Iuramentum
vi sua obligat
secundum
mentem
iurantis.

Dices, Reuerentia diuina obligat non solum ut verifices id quod intendisti iurare, sed etiam quod aliis rationabiliter visus es iurasse: si enim id non serues, videberis perituum, & quantum in te, minus

45
Obiectio.

nues apud illos honorem diuinum. Confirmatur ex cap. 9. Quacumque arte. 22. quæst. 5. ex Isidoro lib. 2. de summo bono c. 31. *Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit.*

Resp.

Respondeo, Ob hoc argumentum multi DD. videntur sentire contrarium: sed faciliè possunt conciliari: nam etiam si iuramentum non obliget per se & vi sua nisi secundum mentem iurantis, vt dictum est: tamen ratione damni vel scandali fecuturi, potest obligare iuxta mentem exigentis; & hoc solum probat argumentum allatum. reuerentia enim diuina etiam obligat ad vitandum scandalum in materia religionis; & non solum vt nihil agas quod contra honorem diuinum verè sit; sed neque quod videatur esse. Deus etiam accipit sicut alter intelligit; quia censet te ad hoc obligatum non præcisè vi iuramenti; sed quia tenetis alterum non decipere, causam damni & scandali non dare. seposito tamen periculo damni & scandali, nulla obligatio grauis nascitur in foro conscientia: nam deceptio illa per se non est mortifera. In foro tamen externo cogendus est implere quod secundum verborum legitimam interpretationem visus est promississe.

Quomodo obliget iuxta mentem exigentis.

Vtrum autem teneatur patere si res sit integra, & impletio illi valdè detrimentosa, & scandalum absit, quari potest. de quo vide supra cap. 18. num. 61.

46 Dico Secundò, Quando quis se sponte sua offert ad iurandum, vel legitimè ad hoc compellitur, peccat mortifere, si alieno sensu iuret. Ita Nauarr. c. 12. n. 8. Caietan. Sotus, Arragon. supra, & alij. quod maximè verum est in iudiciis & contractibus: in his enim est grauis deceptio partis, in illis fit contra obedientiam Superioris, & peruertitur Iudicium. Accedit, quòd quando non subest causa legitima vtendi illa calliditate, videatur falsum iurasse: præsumitur enim iurasse ad mentem exigentis, vt communiter fieri consuevit.

Institores iurantes.

Petes, An sit peccatum mortale, quando institores iurant rem sibi tanti vel tanti stetit, alio sensu quàm emptores intelligant? Ratio dubitandi est, quia dicunt se alia ratione iustum pretium ab emptoribus non posse obtinere, nec per hoc velle aliquid iniusti committere.

Respondeo, Non faciliè id esse credendum; tamen si verum sit, non videri eo casu peccatum mortale; sed tunc mortale censendum, quando hac ratione intendunt decipere, & extorquere supra iustum, vel obtinere pretium summum, quod alioquin emptor dare nolisset; vel alia ratione sunt ei causa damni.

47 Si iusta causa subsit.

Dico Tertio, Quandocumque aliquis iniuste cogitur ad iuramentum, vel aliàs habet iustam causam celandi mentem suam oratione ambigua, vel tacita restrictione; non peccat, etiam si alieno sensu iuret. quod intellige, si necessitas vel utilitas iuramentum exigat. De oratione ambigua est ferè communis sententia, Soti, Caietani, Arragon. supra, & aliorum. Ratio est, quia cum non teneatur loqui ad mentem alterius, potest orationem in aliam sententiam vsurpare, & aliena à proposito alterius respondere: & consequenter si ratio postulet, potest illi in eo sensu adiungere iuramentum.

Restrictio occulta.

De restrictione occulta negant Sotus, Caietanus, Arragon. & quidam alij; quia oratio illa, quæ ex-

terius profertur, est falsa: vt si promittas latroni 100. tacitè addendo, si debeo, si ius habes, &c. exterius mentiris, quia oratio externa id non significat.

Sed contrarium est probabilius, & tenet Nauarrus cap. 12. nu. 8. 9. & 19. & comment. in cap. Humanæ aures. 22. q. 5. Siluester, Iuramentum 3. quæst. 2. Iuramentum 4. q. 7. Angelus, Iuramentum 5. num. 9. Adrianus in 4. q. de sigill. confessionis. Maior in 4. d. 15. quæst. 18. Toletus lib. 4. cap. 21. & l. 5. cap. 58 à Valentia disp. 5. q. 13. p. 2. & disp. 6. q. 7. p. 4. & alij multi. v. g. Si reus non iuridicè rogetur, potest dicere: Non feci; mente addendo, in carcere: Non habui complices; puta, in alio crimine. Ita Toletus cap. 58. Si venis ex loco, qui putatur falsò infectus peste, potes custodibus oppidorum respondere, te inde non venire, te illac non transisse, intelligendo vel addendo tacitè, Hoc die, vel vbi sit infectio: sic enim respondes ad intentionem eorum remotam; ita Siluest. v. Iuramentum 3. q. 2. Toletus l. 4. cap. 21. Nauarr. supra. Addit Toletus, *quamuis locus sit infectus peste, si tamen orator non sit infectus, potest uti æquiuocatione; quia non facit contra præcipuam intentionem illorum.* quòd intellige, si sit omnino certus à se nihil esse periculi.

Exempla.

Probat, Quia in his & similibus euentis non tenetur homo totam mentem suam circa rem de qua interrogatur aperire: ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiat. poterit igitur partem exprimere, & partem tacitus addere. Confirmatur, Quia non magis tenetur totam mentem suam exterius declarare corà isto, quàm dum solus agit & secum loquitur: cum ille nihil ad hoc iuris habeat. sed dum secum loquitur, non tenetur totum exprimere; sed potest partem in animo retinere: ergo etiam cum agit cum illis ad quorum mentem non tenetur respondere.

Nec obstat, quòd illud, quod exprimit, per se sit falsum; quia non intendit per se & solitariè affirmare, sed coniunctum cum eo, quod tacitus addit, cum quo est verum. quod enim exprimitur, solum est pars totius orationis, quæ cõstat partim locutione mentali, partim externa. quòd autem talis coniunctio rectè fieri possit, si causa subsit, patet Primò, ex Gregorio homil. 1. in Ezechielem, vbi dicit, Prophetam connectere orationem externam cum interna, & idèd incipere suam prophetiam particulà copulatiuà, *Et factum est, &c.* Secundò, Multis Scripturæ exemplis; Genes. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau;* scilicet iure & priuilegio. Iudith 10. quædam dicit sancta Iudith, quæ vix aliter à mendacio excusari possunt, quàm aliqua conditione vel restrictione tacitè addita. Marci 13. *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius;* scilicet vt Legatus & hominum Doctor. Sic Legatus solet dicere se nescire, quod non habet in mandatis vt aperiat. Ioannis 7. *Ego non ascendam ad diem festum hunc,* scilicet modò, vel manifestè, vt soleo. Neq; etiam oblat quòd alter inde decipiatur, quia non directè intendis decipere, sed tegere tuam intentionem, ne ipse eam cum tuo incomodo cognoscat. quòd autem ipse falsum iudicium sibi formet, ad hoc solum permissiud te habes, quia iure tuo vteris: & ipse si omnino prudenter agere voluisset, debuisset iudicium suspendere, & cogitare posse iustam causam celandæ veritatis subesse. accedit,

cedit, quod nihil incommodi ex illa deceptione ei proveniat.

48
Quando fas adhibere iuramentum.

Ex his patet, quotiescumque licitum est uti oratione ambigua, vel tacita restrictione; licitum etiam esse uti iuramento, si necessitas vel notabilis causa postulet. numquam tamen licitum est uti hoc artificioso orationis, nisi quando iuste possumus veritatem occultare; ut si aliquod malum vel incommodum aliter non possit auerti. Si absque iusta causa fiat, est abusus orationis contra virtutem veritatis, & civilem consuetudinem, ac proinde est peccatum; etsi proprie non sit mendacium.

Si iocosa.

Quod si tali orationi, cum iusta causa non subest, addatur iurandum; ut si iures Principem esse in oppido, intelligendo pictum, iocosa causa, erit grave peccatum; quia est magna irreuerentia, suis iocis Deum testem adhibere. Fortè tamen non erit mortiferum, si scandalum absit; nam reuera non est periurium, cum id quod iurare intendis, falsum non sit. quia tamen falsum esse exterius videtur, in foro externo periurium esse presumere.

Iurans quod se non commendavit.

Ex dictis etiam colligitur quid dicendum sit, quando quis electus ad magistratum cogitur (ut quibusdam locis fit) sub graui pena acceptare, & nihilominus cogitur iurare se nihil egisse ut commendaretur. Eo enim casu si contra fecit, & res adhuc est integra, tenetur quantum in se est curare ne electores, apud quos se commendauit, habeant rationem illius commendationis, sed pure spectent bonum commune, & merita personarum. quod si illi fecerint, poterit iurare quod se non commendauerit, intelligendo tacite commendatione efficaci, ex qua fit electus. De tali enim intelligendum est statutum postulans iuramentum. verba enim cum effectu intelligenda sunt. actus enim inefficax perinde est ac si non fuerit. Non enim tenetur delictum occultum fateri quod est impertinens ad propositum. Sic si aliquid promissisti alicui electorum ut te eligeret in Prælatum; si ille te non eligat, vel tua promissionis nullam rationem habeat, electio non est vitiosa: & si cogaris, potes cum debita limitatione interna iurare te nihil promississe. Ratio autem cur teneatur, re adhuc integra, reuocare suam commendationem, est, quia tenetur curare ut possit iurare secundum mentem statuti; alioquin tacite consentit in periurium, illius periculo sponte se exponens. Si autem res non est integra (ut si electio iam facta est) vel non possis reuocare quod fecisti; adhuc sentio te posse iurare cum restrictione mentali: nimirum, quia non fecisti publice, vel eo modo ut sit probabile in iudicio. quia non teneris fateri crimen occultum, cum non est infamia, aut probatio semiplena, aut iudicia æquipollentia, ut communiter Doctores tradunt; de quo supra cap. 31. dub. 3. Confirmatur ex doctrina Alexan. Imolensis & Bartoli communiter recepta in L. 2. C. Si seruus aut libertus. n. 2. Vbi docent, eum qui eligendus est in Iudicem, si interrogetur an habeat aliquod impedimentum, non teneri vitium occultum (v. g. infamiam ibi occultam) pandere: nimirum quando impedimentum est tale, ut non impediatur officij administrationem. si non tenetur fateri, poterit etiam sano sensu iurare, se illius expertem, si necesse fuerit, ut si nec officium nec iuramentum detrectare possit.

Secus est cum quis rogatur de impedimento

matrimonij vel Ordinum: tum quia hæc impedimenta impediunt executionem: tum quia sponte quis se ad illa offert. Quod si sub graui aliqua pena cogeret matrimonium vel Ordinem capessere, non teneretur occultum impedimentum, vnde infamia gigneretur, patefacere: & sufficeret, coactione cessante, facere quod Ius præscribit.

Addo tamen, grauius peccare eos, qui vbi huiusmodi sunt statuta & iuramenta in usu, se commendant: quia præterquam quod faciunt contra statutum in re graui, faciunt etiam contra iuramentum futurum, quod intendunt iurare; & ita consentiunt in periurium. vnde & postea tenentur suam commendationem irritam reddere, si res adhuc est integra: & in iurando non possunt uti restrictione interna, si vilo modo absque graui incommodo possunt illud vitare, etiam magistratum detrectando.

DUBITATIO X.

Verum fas sit deferre iurandum ei, quem putas peieraturum.

Respondeo, Fas non esse, nisi iusta causa subest: quia quantum in nobis est, tenemur tantam Dei iniuriam & proximi peccatum vitare & impedire. vide D. Augustinum ser. 11. de Sanctis, vbi refert exemplum de quodam Tutolymeno, qui diuinitus in raptu flagris affectus fuit, eò quod iuramentum à proximo in tali casu exegisset.

49

Tutuslymenus.

Potes tamen sæpe iusta causa subesse, ob quam hoc sit licitum. Primum, Si sis Iudex, & pars id postulet, vel aliàs ratio officij exigat; ut cum adducuntur testes, vel proceditur via inquisitionis. Ita D. Thomas q. 98. art. 4. & Caiet. ibidem. Couar. in cap. Quamuis pactum, p. 1. §. 6. num. 3. & alij. Iudex enim non debet sequi priuatam scientiam, sed præscriptum Iuris, adhibendo ea quibus solet elici veritas: alioquin daret iustam occasionem scandali; quod illi magis cauendum, quam peccatum priuati, quando tamen Iudex id commode potest declinare, (ut si aliud remedium facile possit adhibere) tenetur. sic non potest exigere iuramentum à Clerico de relinquenda concubina, ut habetur cap. Clericos. 3. de cohabitatione Clericor. & mulier. quia metuendum est ne periurium incurrat; & alia remedia supererunt. Secundò, Si alterius causam agas, & ratio officij tui postulet ut ab aduersario iurandum petas. si enim omittas, videberis præuaricari. Tertio, Si speras illum reuerentiã Numinis non ausurum peierare, & aliàs magni tua interst. D. Thomas supra: quia quod exigitur, per se licitum est, & finis qui speratur, bonus, & iusta necessitas interuenit. Quarto, Addi potest, si eius periurio possis uti in tuum commodum, v. g. ad eius fraudes detegendas; & fidem ei detrahendam, ut sic iniuriam euadas, aut Ius obtineas: tunc enim licitum est illius periurium permittere. Sic Deus ob bonos fines multa mala permittit: sic licitum permittit furtum famuli, vel filij, ut explores indolem, ut ipsos corrigas, ut tibi in posterum caueas.

Casus quibus liceat.

Iudex Ecclesiasticus.

Petes, Quid si norim illum iuraturum per Mahumetum, vel idolum?

50
Si per falsos deos.

Respondeo, Nihilominus in contractibus & aliis causis, vbi est iusta ratio ad damnum vel iniuriam cauendam, potes exigere, vel etiam cogere ut

re vt iuret; non quidem determinatè tali modo, sed absolutè & in genere: quod est quotidianum apud mercatores qui cum infidelibus cōtrahunt, Sic Laban iniens fœdus cum Iacob, iurauit per Deum Abraham, & Deum Nachor, Gen. 31. sine tamen iusta causa non licet. Vide Augustinum epist. 154. ad Publicolam, & Serm. 30. de verbis Apostoli, qui totus est de iuramento.

51 *Vtrum maius peccatum.* Petes, Vtrum sit maius peccatum, iurare per verum Deum fallaciter, an per falsum veraciter?

Respondeo, Per se maius peccatum esse, iurare per falsum deum veraciter; si ex animo iures: quia veneris illum animo & affectu pro vero Deo, quod est idololatria. potest tamen minus esse peccatum, vel ratione ignorantie; per quam gentiles multum excusantur; vel quia non iuras ex animo: & hoc modo intellige D. Augustin. epist. illa 154. vbi contrarium affirmare videtur.

DVBITATIO XI.

Vtrum sit maior obligatio iuramenti quam voti.

D. Thomas art. 8.

52 *Iuramentum promissorium.* Notandum est, hanc questionem potissimum habere locum in iuramento promissorio, quo aliquid Deo vel homini promittitur. Ac primum, si aliquid iuramento promittas Deo, certum est te magis obligari, quam si solum voues Deo; quia illud iuramentum etiam continet votum. vnde est duplex in eo vinculum. Nec refert vtrum expresse an tacite promittas; vt si iures te daturum eleemosynam; quia tale iuramentum soli Deo factum, censetur continere votum: continet enim tacitam promissionem ad ipsum directam. Sed

Difficultas est, si nihil Deo promittas, sed solum homini, vtrum talis iuramenti maior sit obligatio, quam voti, quo simile quid Deo voues. D. Thom. negat; quia magis tenemur esse fideles Deo in promissis, quam reuerentes in verificando quod per nomen eius promissimus. qui enim est infidelis Deo, peccat contra reuerentiam & fidelitatem; qui autem non verificat quod per Deum iurauit, solum contra reuerentiam Deo debitam. Hæc sententia est probabilis, eamque sequuntur Caietan. & alij Thomista, & multi DD. Sed contra

53 *Rationes ob quas iuramenti obligatio videtur maior.* Obiici potest Primò, Qui non implet quod iurauit, facit Deum testem falsi: at hoc est grauius, quam ei non seruare fidem in promissis; per illud enim tribuitur Deo aliquid, quod ipsius nature repugnat; per hoc solum officium debitum deficitur. Secundò, Periurium contra veritatem præsentem (vt cum quis iuramento assertorio iurat falsum, vel promissorio absque animo implendi) est grauius peccatum quam violatio voti: ergo iuramentum magis obligat, saltem ad illam veritatem procurandam, quam votum ad soluendum promissum. Antecedens patet, tum ex grauissimis penis, quæ periuris apud omnes gentes statuta sunt; plectuntur enim vel morte, vel manus aut lingua præcisione, vel aliis modis corporaliter; & iure Canonico depositione: tum quia sunt infames vel ex vno actu: tum denique quia in tali periurio censetur esse maior contèptus Numinis. qui autem semel vel iterum violat votum, non habetur ita sceleratus, nec infamis. Tertio, Iuramentum duplicem obligationem inducit; obligat

enim non solum erga Deum, sed etiam erga hominem, cui fit iniuria si violetur: votum solum obligat Deo, ergo, &c.

Dices, Potest quis iurare nemini aliquid promittendo; vt si iures te daturum eleemosynam.

Respondeo, Tale iuramentum fit intuitu Dei, vt illi placeas; itaque continetur in eotacita promissio erga Deum, quæ iuramento confirmatur: vnde erit in eo duplex vinculum. Quod si quis tale iuramentum ita faciat, vt non intendat quidquam alicui promittere, sed solum affirmare quid sit facturum, nihilominus hoc vinculum per se fortius erit vt verificet quod dixit, quam vinculum voti, vt ex secundo argumento patet.

Ob has rationes hæc sententia est valde probabilis, quam tenet Ioannes Maior in 4. d. 38. qu. 5. Michaël Medina lib. 5. de continentia c. 22. & 23. & alij quidam recentiores. Nauarr. c. 22. num. 32. Conciliatur has sententias conciliare; dicitur sententiam Maioris esse veram, quando vtrumque fit principaliter in honorem Dei, vel vtrumque principaliter in commodum proximi. sententiam autem D. Thomæ esse veram, quando votum fit principaliter in honorem Dei, iuramentum in commodum proximi. vbi satis indicat Nauarrus, iuramentum per se & ceteris paribus maius vinculum inducere. Quod si verum est, sequitur etiam in hoc vltimo casu (quando votum fit potissimum in honorem Dei, & iuramentum in commodum proximi) magis obligare; nam in iuramento est duplex obligatio, scilicet religionis erga Deum, quæ per se est firmiter; & iustitiæ erga proximum: in voto solum est vna obligatio, scilicet religionis erga Deum.

Ad rationem alterius sententiæ: Periurium non solum est contra simplicem reuerentiam Deo debitam, sed etiam contra perfectionem diuinam: nam periurus, quantum in se est, facit Deum testem falsi. In violatione voti, esse contra reuerentiam & contra fidelitatem, non sunt duæ malitiæ disparate, sed altera pendet ex altera; idè enim est contra reuerentiam, quia est contra fidelitatem debitam ex promissione supremo Domino: violare enim fidem domino suo, irreuerentia est in illum & quamuis essent distinctæ, non tamen omnino æquarent malitiam periurij.

Ratio tamen D. Thomæ benè probat, opus, quod ex voto fit, esse Deo gratius, & magis meritum quam quod ex iuramento; quia illud immediatè offertur Deo, & ex affectu illum honorandi: itaque induit speciem actus religionis. hoc verò ordinariè non procedit ex tali affectu, sed ex affectu iustitiæ erga proximum, vel timore iniustitiæ aut periurij; neque exhibetur Deo, sed proximo.

DVBITATIO XII.

Quibus modis tollatur obligatio iuramenti, & cuius auctoritate.

54 *Ad rationem contrariæ sententiæ.* Dupliciter tolli potest obligatio à iuramento. Primò, Impediendo ne illam ab initio inducat. Secundò, Tollendo iam inductam. Impeditur potest obligatio iuramenti per legem, si lex statuatur vt iuramentum contractum vel promissioni alicui adiectum, sit irritum, & nullam inducat obligationem.

ligationem. Sic Concilium Trident. sess. 25. c. 16. de Regul. irritum reddit iuramentum adiectum renuntiationi bonorum, si fiat ante bimestre, quod præcedit professionem: de quo supra cap. 41. num. 39. 40. Sic in regno Lusitanæ irriti redduntur per legem omnes contractus, obligationes, conventiones, promissiones, remissiones, & distractus iuramento confirmati, si alioquin ad forum sæculare eorum cognitio pertinebat: nisi cum Regis facultate iuramentum appositum fuerit. Simili ferè modo in regno Castellæ; exceptis quibusdam contractibus, vt refert Molina disputat. 149. Quod ideo factum est, ne lites super huiusmodi contractibus traherentur ad forum Ecclesiasticum. iuramentum enim facit, vt causa, quæ aliàs merè est ciuiliis, fiat fori mixti. vt patet ex cap. fin. de foro competenti, in 6.

56
Quomodo fiat ut obligatio im-
pediatur.

Sed difficultas est, quomodo potestas humana hoc possit, cum obligatio naturaliter & necessariò resulter ex iuramento; Iure enim naturæ tenemur cauere ne Deum faciamus testem falsi, vt supra ostensum est num. 38. Omnis variis sententiis; quæ rem non explicant; nec punctum tangunt,

1. Reddendo inhabilem ad acceptandum

Respondeo, Dupliciter intelligi posse id fieri. Primò, eum in cuius fauorem fit, reddendo inhabilem ad acceptandum. cum enim iuramentum promissorium non obliget, nisi promissio acceptetur ab eo in cuius fauorem factum est; si hic fit inhabilis ad acceptandum, nulla potest nasci obligatio. Quòd autem talis inhabilitas etiam lege ciuili induci possit, non videtur dubitandum; quia lex ciuiliis potest reddere inhabilem ad officia, ad contractus, ad alienationes, ad acquisitionem bonorum, & similia: cur non etiam ad validè acceptandum alterius promissionem? Verùm hic modus non videtur sufficiens: quia etiam si acceptatio sit inualida, & contractus irritus, iuramentum tamen non reuocandi talem contractum potest esse validum, vt patet in contractu minoris quo alienat rem immobilem sine auctoritate Iudicis, adhibito iureiurando de non contrahendo: & in contractu pupilli qui pubertati proximus.

2. Condonando obligationem.

Secundò, Intelligi potest id fieri condonando seu remittendo obligationem, hoc ipso quo iurans tentat illam inducere: cum enim iuramentum promissorium non obliget, si ille, cui fit, statim remittat, (nam sub hac tacita conditione, *Si uelis, si non remiseris*, fieri censetur) etiam non obligabit, si Superior illius ex iusta causa remittat. hæc enim remissio non est minus efficax quam remissio inferioris, cuius interest, & eam virtute continet: vnde non minus resistit obligationi, quam illa. quare etiam lex irritans eidem obligationi resistit, cum talem remissionem continere censetur. Et hoc modo videntur etiam leges ciuiles, posita iusta causa, posse impedire iuramenti vinculum in materia ciuili. de quo vide Couarru. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 3. num. 25. & sequentibus.

3. Prohibendo executionem.

Alio modo impediri potest obligatio, quando prohibetur executio, ita vt sine peccato fieri non possit: quomodo putant multi impediri obligationem pœnæ conuentionalis sponsalibus appositæ & iuramento confirmatæ, de quo supra cap. 17. dub. 7.

57
Quo modo tollatur in inducitur.

Obligatio iam inducta tolli potest quinque modis.

Primò, Mutatione materia; vt si res iurata fiat impossibilis instanti, aut illicita, Superiore vetante: quo modo etiam potestas sæcularis subinde vti potest.

1. Mutatione materia.

Secundò, Condonatione; vt si is, in cuius fauorem factum est, remittat obligationem; quæ tunc enim potest condonare promissionem factam in suum fauorem, etiam si facta sit in modum voti; vt si voueas Deo, & iures te ducturum Catharinam pauperem, vel daturum illi dotem vt melius nubar. Contrarium tenet Sotus lib. 8. de Iustitia quæst. 1. art. 9. & quidam alij.

2. Condonatione.

Sed Probatur: Quia qui facit tale votum vel iuramentum, non intendit se obligare nisi sub tacita conditione, Si ille, de cuius commodo agitur, velit acceptare. non enim intendit inuitum ad beneficium acceptandum cogere, vel nolenti obtrudere: ergo si ille nolit, vel condonet, non obligatur; cessat enim conditio sub qua obligatio inducta est. eodem ex iusta causa vti potest ciuiliis potestas.

3. Commutatione.

Tertiò, Commutatione; vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius quod iuramento promissum est, præstari. Vbi Notandum est, quando talis commutatio facta est, iuramentum non teneri ex vi iuramenti ad illud in quod facta est; quia illud iuramento non promissum, sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit. Parimodo si iurasti soluere ad certum diem, & creditor terminum proroget ad mensem, non teneris post illum diem ante finem mensis ex vi iuramenti, sed solum ex pacto. Secus tamen est in commutatione voti: quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id in quod fit commutatio; quæ promissio cum Deo fiat, habet vim voti. Ratio est, quia Prælati commutans non condonat nomine Dei priorem obligationem, nisi ea lege vt loco illius aliam suscipias; non erga seipsum, sed erga Deum; quia non suo, sed Dei nomine agit; atqui hæc obligatio erga Deum est voti: ergo, &c. Confirmatur, quia si creditor commutet volente debitore aliquod debitum in aliud, hoc ipso, quo debitor acceptat, censetur illud promittere & se obligare.

Discrimen inter commutationem voti & iuramenti.

58
A quo fieri possit commutatio iuramenti.

Vt autem intelligatur à quo hæc commutatio fieri possit, Notandum est, omne iuramentum promissorium fieri vel in honorem Dei, & sic continet votum; vel in fauorem hominis, & tunc vel acceptatur, vel non acceptatur. Si fiat in honorem Dei, (vt si iures te auditurum Sacrum, daturum alicui pauperi eleemosynam, seruaturum continentiam) commutari potest ab eo, qui simile votum potestate ordinaria commutare potest, vt communiter docent DD.

Confessaria 3.

Vnde sequitur Primò, Episcopum & alios Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, posse omnia talia iuramenta, præter ea quæ implicant votum Pontifici reseruatam, commutare. Secundò, Omnia talia iuramenta extingui professione Religionis approbatæ. Tertiò, Quemuis posse talia à se facta in melius commutare, quod colligitur apertè ex cap. Peruenit. 2. de iureiurando. Nec refert, etiam si tale iuramentum cedat in commodum tertij; quia si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ille ius acquirit, sicut supra cap. 40. n. 90. de voto dictum est. Si autem fiat in fauorem hominis, & validè sit acceptatum, non potest commutari ab alio, ipso inuito,

inuito, nisi interceperit iniuria, vel in pœnam iustam, vel bonum commune aliud postulet, vt statim dicemus.

59 *An Regulares possint commutare iuramenta de eadem materia? Multi sentiunt posse. Primò, Quia iuramenti vinculum per se minus est quàm voti, secundùm D. Thomam & plurimos DD. at cui cõcessum quod maius est, censetur etiam concessum quod minus: Secundò; Quia obligatio iuramenti promissorij per se euanescit, sublata promissione per condonationem vel commutationem: ergo qui potest vinculum promissionis seu voti tollere, potest etiam tollere vinculum iuramenti. Confirmatur, quia accessorium sequitur naturam principalis; reg. 42. de regulis Iuris, in 6. sed iuramentum est accessorium voto: ergo sublato voto tollitur iuramentum. Tertio, Quia huiusmodi iuramenta etiam sunt vota: ergo qui potest in omnibus votis, potest etiam in illis iuramentis. Hanc sententiam tenet Petrus Arragonius art. 12. Didacus Lopez tract. de voto q. 5. num. 42. Vivaldus cap. 14. q. 8. & alij multi recentiores. Idem sentire videntur, qui dicunt idem iudicandum de absolutione à voto, & à iuramento, vt Siluest. Iuram. 5. q. 3. Sotus lib. 8. q. 1. art. 9. Pumus v. Iuram. num. 19. & alij.*

60 *Obiectio. Præiudicium.* Dices, Hac facultas commutandi & dispensandi est priuilegium: priuilegia autem sunt strictè interpretanda, cap. Cum in illis. 16. cap. Cui de non sacerdotali. 27. de præbendis, in 6. quia Iuri communi derogant: vnde etiam dicuntur odia Iuris: odia autem sunt restringenda, vt habetur regula 15. de regulis Iuris, in 6.

Resp. Responderi potest, talè facultatem, concessam in fauorem aliquorum particularium, censeri priuilegium, & odium Iuris; ac proinde strictè esse interpretandam: secus verò quando concessa in fauorem publicum; etiam si alicui particulari concessa sit; tunc enim censeri non priuilegium & odium Iuris, sed fauorem & beneficium Principis. vnde latè esse interpretandam, quantum verba patiuntur, iuxta regulam dictam, *Odia restringe, fauores conuenit ampliari.* Ita Panormitanus in cap. final. de simonia, & Glossa ibid. & alij passim. quod multò magis locum habet, quando concessa est non particulari alicui, sed integro Ordini: tunc enim non solum non censetur odium Iuris, sed etiam æquatur Iuri communi, inserto corpori Iuris, adeò vt per Bullas & alias reseruationes ei non derogetur, nisi habeant expressam clausulam derogatoriam: quod etiam signum est esse merum fauorem & beneficium, ac proinde latissimè interpretandum; beneficium inquam, non tam Ordinis, quàm populi Christiani. Nec obstat si dicatur vinculum iuramenti esse fortius; hoc enim intelligendum manente vinculo promissionis: si tamen hoc per condonationem soluatur, statim per se euanescit vinculum iuramenti. Hinc videmus, iisdem causis solui sponsalia iurata, quibus soluuntur simplicia; quia eandem tacitam conditionem habent.

Contrarium tenet Nauarr. cap. 27. n. 275. Enchiridij. Ioannes Azorius lib. 11. cap. 10. qu. 2. & quidam alij recentiores, quorum sententia est magis conformis stylo Curie Romanæ. solet enim tamquam speciale priuilegium concedi potestas commutandi iuramenta.

Sed vtendum videtur distinctione. Si enim iuramentum fiat animo promittendi Deo, ita vt includat votum; commutari potest ab iis qui vota similia commutant. Ratio est, quia iuramentum est voto accessorium. vnde qui potest tollere obligationem voti, eo ipso potest tollere obligationem iuramenti. accessorium enim sequitur suum principale; & sublato fundamento, ruit quod illi innititur. Simili modo qui potest tollere promissionem factam homini, potest etiam iuramentum tollere quo illa promissio confirmata fuit. Excipio promissionem minoris iuramento confirmatam, quia iuramentum dispositione legis facit ipsum quasi maiorem, vt infra num. 61. dicitur. Si verò non fiat animo promittendi Deo, sed solum firmandi se in bono proposito; vel si apponatur voto principaliter & non accessorie, non potest commutari à priuilegiatis, nisi priuilegium habeat vt possint commutare iuramenta absque præiudicio tertij. Ratio est, quia tale iuramentum vel non includit votum, vel saltem non est voto accessorium, sed additur principaliter & immediatè ad obligandum se ad opus. Vnde cum vinculum iuramenti sit valdè diuersum à vinculo voti, potestas concessa circa vota non potest extendi ad iuramenta. Tunc autem iuramentum est voto accessorium, quando solum fit ad confirmandum votum, ne videlicet contrà fiat quamdiu manet obligatio promissionis. & tunc iuramentum retinet omnes tacitas conditiones quas habet votum. itaque cum votum habeat hanc conditionem, nisi condonatum vel commutatum fuerit, &c. posita hac conditione, cessat vis iuramenti. Similiter cessat, si quo casu desinat obligatio voti. nam iuramentum solum obligat, quamdiu manet vis voti seu promissionis. Tunc verò non est accessorium sed principale vinculum, quando apponitur non solum ad confirmationem voti, sed per se primò ad firmandum animum in bono opere siue cesset obligatio voti, siue non. nam mens est obligare se ad opus, quia Deo gratum, salutare animæ, &c. Vnde non cessat obligatio talis iuramenti, nisi contingat opus non esse Deo gratum, vel maius bonum impediatur, vel reddatur impossibile. Nec alias tacitas conditiones habet tale iuramentum.

Quartò, Tolli potest irritatione, vt quando materia iuramenti promissorij subest alterius potestati, siue ille sit Ecclesiasticus, siue laicus; siue persona publica, siue priuata. sicut dictum est de voto. Hoc modo interdum irrita redduntur à Concilijs & Summis Pontificibus iuramenta, quæ sunt in Capitulis à Canonicis de seruandis statutis & consuetudinibus, de acceptando vel non acceptando beneficio, & similia. & quæ sunt in Vniuersitatibus à Baccalareis de non suscipiendis alibi gradibus, & alia id genus; vt notat Caietanus art. 9. censetur enim in huiusmodi semper excepta potestas Superioris, quam inferiores per suum iuramentum restringere non possunt.

Hinc patet, omnes eos posse irritare iuramenta, qui vota eiusdem materiae irrita reddere poterant.

Hæc tamen excipienda iuramenta minorum: etsi enim iuratores possint irrita reddere vota realia ipsorum, quatenus eorum administrationi officiant, vt supra cap. 40. dub. 14. dictum est: non tamen iuramenta, vt colligitur L. 1. & 2. C. Si aduersus venditionem; vbi etiam non conceditur illis restitutio in integrum, etiam si ex contractu lasi sint,

Dupliciter apponitur iuramentum.

Quando fit accessorium voto.

Quando non fit accessorium.

4. Irritatio.

Iuramenta minorum non irritantur.

sunt, si iuramento illum confirmantur: quia iuramentum supplet defectum ætatis, eosque dispositione legis efficit maiores, ut ibidem Doctores notant. Nec refert quod prædictæ leges loquantur solum de contractibus; quia eadem est ratio in votis, ut patet ex dicta L. 1. non enim minus perfidia & peritium in votis locum habere potest, quàm in contractibus.

Impuberum tamen iuramenta irritari possunt à tutoribus, sicut & vota; quia nihil iura in contrarium statuerunt, & aliàs non sunt sui iuris, sed subsunt in omnibus regimini tutorum; & habetur expressè 22. q. 5. cap. Pueri. 15.

De iuramentis filii familias dicendum sicut de votis eiusdem. Vnde sicut pater potest in irritum reuocare vota filij de bonis aduentitiis, non solum ante vigesimum quintum annum facta, sed etiam in vltiore ætate, eò quod illa iuri ipsius officiant, ita etiam iuramenta eiusdem: non enim per ætatem eximitur à patria potestate, ut communiter tradunt DD. in L. vlt. §. Pupillus. 7. de verb. obligat. nec ratione illius acquirit vsum fructum aut administrationem suorum aduentitiorum. Vide Sancium lib. 6. de matr. disp. 39. n. 10.

Quintò, Dispensatione, seu absolutione. hæc fit auctoritate solius Superioris. Et quidem si iuramentum habeat speciem voti, absolueri ab eo potest, qui potest à voto eiusdem materiæ absolueri ordinaria potestate. Si autem solum delegatam potestatem à voto absolueri habeat, multorum quidem iudicium est, etiam posse à iuramento eiusdem materiæ. sed dicendum est iuxta distinctionem datam supra num. 60. Si verò factum est in fauorem tertij, & acceptatum, Superior absolueri non potest, nisi legitima causa subsit; quia non potest ius alterius tollere sine iusta causa. Causæ iustæ sunt; Primò, Si metu vel fraude extortum. Secundò, Si alia iniustitia intercessit; ut cum vlturarius exigit iuramentum de soluendis vsuris. Item quando quis in contractu grauitè læsus est, & coactus est illum iuramento confirmare, vel non aduertens illam læsionem, sponte confirmauit. Tertio, In iustam pœnam. Quarto, Si bonum commune postulet; ut si filius familias cum iuramento renuntiet Macedoniano; de quo supra cap. 20. num. 9. si cum iuramento promittas non accusare, &c.

Sed difficultas est, qua ratione possit Superior in his euentis iuramenti vinculum relaxare. non enim sicut Prælati nomine Dei condonare potest promissionem Deo factam, ita etiam condonare potest obligationem, qua teneris Deum non facere testem falsi, cum nec ipse Deus hanc obligationem tollere possit: hoc enim esset dare licentiam periurij, ac irreuerentiæ & iniuriæ in Deum.

Hanc difficultatem apud nullum Auctorem inueni explicatam; cum tamen sit satis obscura & perplexa. Mihi dicendum videtur iuramenti vinculum non posse vllò modo tolli, nisi appositione vel subtractione alicuius conditionis, quæ tacite censetur ex natura rei vel Iuris dispositione inclusa promissioni, vel iuramento promissioni appposito. Qui enim aliquid promittit alteri, tacite subintelligit has condiciones, *Si velis, Nisi remittas, Nisi Superior cui materia subest, contradicat, Nisi ipse sua auctoritate condonet*, &c. Hinc dici solet, in iuramento censeri exceptam Superioris auctoritatem. Itaque quando per iniuriam extortum est,

ille Superior potest relaxare iuramentum, qui sua auctoritate potest remittere solutionem. quod vt meliùs intelligatur,

Notandum est, in iuramento promissorio binas interuenire obligationes erga eum in cuius fauorem præstatur. quarum altera præcisè oritur ex promissione, altera ex ipso iuramento. Ex promissione oritur quædam obligatio saltem fidelitatis aut veritatis; cui si non satisfacias, censeri perfidus aut mendax. Verum si promissio per iniuriam extorta est, facillè potest hæc obligatio elidi ab eo qui iniuriam passus est, ita vt ne quidem ex decentia aut honestate teneatur ei satisfacere, quando est solitaria. potest enim ratione iniuriæ se ipsum restituere in integrum, vel vti quasi compensatione, non soluendo promissum, cum solum agatur de commodo promissarij qui per iniuriam promissionem extorsit. Ne autem promissor id facere possit, & sic eludere promissarium, exigi solet iuramentum quo Deus vocatur in testem, nimirum vt puniat promissorem nisi præstet quod promissit, & ita promissor reuerentiæ & timore Dei moueatur ad soluendum; sicque ex iuramento nascitur noua obligatio erga promissarium ad præstandum promissum in ipsius commodum. Ita enim Deus adducitur in testem promissionis & solutionis futuræ, vt nisi eam præstes, censeri Deo fuisse irreuerens & iniurius, vt qui illum feceris testem falsi.

Vnde patet, hinc esse duas obligationes, seu duo debita erga promissarium, quibus censeri ei debere soluere promissum; alterum ex fidelitate vel veritate, alterum ex vinculo Religionis erga Deum. Vtraque tamen obligatio ex natura rei habet hanc tacitam conditionem, *Nisi promissarius remiserit, vel, Nisi legitime remissio interuenierit*. Potest enim promissarius omnem obligationem, & omne debitum quod illi siue ex promissione nuda, siue ex iuramento accedente, obuenit, condonare, cum totum in ipsius gratiam & fauorem factum sit. Itaque si promissarius condonet promissionem seu promissionis executionem, totum debitum euanescit, etiam si promissio iuramento fuerit stabilita: quia obligatio iuramenti erat accessoria promissioni, eique tamquam fundamento nitebatur, & hanc tacitam includebat conditionem. Vnde non potest condonari promissio, quin simul condonetur & euanescat obligatio iuramenti. potest tamen condonari obligatio iuramenti, salua manente obligatione promissionis vel contractus, quia hæc non pendet ab illa, cum sit prior, & fundamentum illius. Vnde quando contractus aliquis inter duos est initus, & vtriusque iuramento confirmatus, potest vterque alteri facere gratiam iuramenti, condonando obligationem ex iuramento ortam, salua manente propria obligatione contractus. Idem dicendum quando promissio aliqua fuit iuramento stabilita: potest enim promissarius, in cuius fauorem & promissio & iuramentum factum est, condonare omnem obligationem quæ ad implendam promissionem erga ipsum ex iuramento orta est, salua manente obligatione nudæ promissionis.

Ex quibus patet, duobus modis posse tolli obligationem iuramenti, nimirum mediâtè & immediâtè. Mediâtè tollitur, quando condonatur ipsa promissio seu eius executio. tunc enim ex conlequenti simul euanescit obligatio iuramenti. Immediâtè,

Ggg 4. mediâtè,

Dua obligationes in iuramento promissorio.

62
5. Dispensatione.

Causa dispensandi in iuramento præstito in fauorem tertij.

63
Quomodo possit vinculum iuramenti laxari.

Subtractione conditionis soluitur.

Duobus modis potest tolli obligatio iuramenti.

mediatè, quando condonatur ipsa obligatio orta ex iuramento erga promissarium ad exequendam promissionem.

Relaxat
Superior
per modum
condona-
tionis.

His positis tamquam certis & perspicuis, facile intelligi potest quomodo Superior possit relaxare iuramentum. Sicut enim is in cuius fauorem & commodum præstitum est, potest illud relaxare; ita etiam eius Superior, cui vel ille pleno iure subest, sicut pupillus tutori, vel Religiosus Prælato, vel saltem cui materia promissa subest, ita ut possit eam prohibere, vel de ea disponere, sicut filius familias in quibusdam subest patri, & subditus suo Principi. Sicut enim Superior potest cogere inferiorem ut obligationem iuramenti remittat, quando iusta causa id postulat vel subest, ita ipse per se potest eam remittere, illo nolente vel non comparente; vel aliàs quando sic expedit, & tunc consensus Superioris supplet defectum consensus inferioris. Unde cum Christus Dominus omnium sit Superior, potest ipse omnem talem obligationem condonare. Et consequenter idem potest Summus Pontifex Christi vicarius in omnibus Christianis, quando iusta causa subest; quia Deus omnem illi potestatem concessit, quæ erat necessaria ad ritè gubernandam Ecclesiam, & ad obuiandum periculis animarum quæ ex obligationibus iuramentorum & votorum solent inter homines incidere. Nisi enim talis potestas Ecclesiæ data esset, grauissima sequerentur incommoda, & multæ animæ ratione huiusmodi vinculorum perirent.

64
Quaratione Sum-
mus con-
rifer.

Itaque Summus Pontifex, ut Christi Vicarius & omnium Christianorum Superior, potest immediatè tollere & condonare omnem obligationem ex iuramento promissorio ortam erga aliquem, quando iusta causa subest; quæ condonatio non minus efficax est, quàm si ipse promissarius, in cuius fauorem iuramentum erat, eam fecisset.

Nec obstat quòd iuramentum factum sit infideli qui Pontifici non subest: satis enim est, eum, à quo infidelis per iniuriam iuramentum extorsit, ei subditum esse. Sic enim ad Pontificem pertinet eum in rebus quæ ad salutem eius pertinent gubernare, & vinculis iniquis soluere. Et quamuis non sit propriè Superior illius infidelis, ac proinde non possit nomine proprio condonare obligationem ipsi factam; tamen cum sit Vicarius Dei qui omnium est Superior, potest nomine Dei condonare obligationem illam subdito suo per iuramentum ab infideli iniectam.

Et Episco-
pus.

Pari modo Episcopus potest dispensare in iuramento promissorio, etiam si in fauorem eius qui ipsi non est subditus, factum sit, modò iusta causa subest. Iusta verò causa subest, quando per iniuriam exactum est, siue metus interuenerit siue non. Hinc Doctores in cap. Debitores 6. de iuramento, generatim docent, iurandum quo quis vsurario promissit soluere vsuras, ab Episcopo relaxari posse. Etsi enim vsurarius ille non sit subditus Episcopi, ac proinde non possit Episcopus proprio nomine tamquam Superior illius condonare obligationem, tamen potest illam condonare tamquam Vicarius Dei qui omnium Superior.

Simili modo possunt huiusmodi iuramenta per iniuriam extorta relaxare Religiosi, quibus per priuilegium Sedis Apostolicæ concessum relaxare iuramenta, quorum absolutio non est in præiudicium tertij. Quando enim per iniuriam

exactum est, nullum ius strictum acquisitum est exactori, aut alteri in cuius fauorem exactum: ac proinde absolutio non censetur esse in eius præiudicium, id est in damnum iniquum.

Sæpè etiam iusta causa relaxandi iuramenti etiam debito modo præstiti & exacti, est puniitio delinquentis, & cautio periculorum, quæ ab ipso impendent. Hoc modo relaxatur iuramentum subditorum quo obstricti sunt suo Principi vel alteri Superiori; quando ille ob crimen per Summum Pontificem, vel aliàs per suum Superiorem legitime priuatur dignitatè vel officio, ratione cuius ei præstitum erat iuramentum, vel quando suspenditur ab officij sui executione. ut patet cap. Absolutos. 16. de hæreticis, vbi sic dicitur: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, dominij & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto, quacumque firmitate uallato, tenebantur astricti.* ut subditi, serui & vasalli. Idem dicendum de iis qui publicè excommunicatis simili modo obstricti erant, ut habetur cap. Nos sanctorum. 15. q. 6. ex Gregorio VII.

65
Relaxatio
in penam.

Denique interdum ratione boni communis relaxari potest, ut cum quis promissit alteri cum iuramento non accusare, non denuntiare, non contrahere, & similia. nisi enim talia relaxari possent, crimina detegi & puniri, iudicia exerceri, innocentia defendi, iniquitas opprimi non possent; quæ omnia sunt contra bonum commune. Hæc tamen iuramenta per se non cessant, sed seruanda sunt, nisi quando alioquin teneris hæc officia præstare; ut si proximus aliter non putetur emendandus, aut si à Iudice legitime rogeris. tunc enim hæc iuramenta non egent relaxatione. Quòd si talia iuramenta non sponte facta in gratiam alterius, sed metu extorta sint, non obligant, nec egent relaxatione, ut colligitur ex L. 2. C. Si aduersus vendit. vide iuprà dubit. 6. in fine.

66
Quando
cessatur
dispensa-
tio.

Circa prædicta Notandum est, non omnem relaxationem iuramenti esse dispensationem propriè in iuramento. Cum enim is, in cuius commodum factum est, illud condonat, non est dispensatio, nec actus spiritualis potestatis, sed nuda condonatio. Similiter cum fit per Superiorem illius posità legitimà causà; ut si Iudex ad puniendum vsurarium qui absque Principis permissu vsuras fecisset, condonatet seu irritaret obligationem iuramenti præstiti vsurario à mutuatariis de soluendis viuris. Verùm tunc est propriè dispensatio, quando Prælatus Ecclesiasticus, vel alia persona Ecclesiastica ab illo auctoritatem habens, tamquam Dei Vicarius, & nomine Dei obligationem condonat, & vinculum iuramento inductum dissoluit. Unde patet, dispensationem iuramenti esse solius potestatis Ecclesiasticæ.

DVBITATIO XIII.

Quid sit adiuratio, & in qua competat.

D. Thom. quæst. 90.

R espondeo & Dico Primò, *Adiuratio* est rei sacræ contestatio ad permouendum alterum. *Adiuratio* sicut

67
Adiuratio
sicut

sicut enim *iuramentum* est contestatio rei sacrae, per quam homo alteri seipsum obligat & ordinat ad aliquid; ita *adiuratio* est, quando rem sacram contestamur, & veluti in rem praesentem adducimus, vt eius reuerentia per moueamus alterum ad aliquid faciendum vel non faciendum. dum enim adiuramus aliquem, Deum ipsum, eiusque numen, quantum in nobis est, adducimus, vt eius reuerentia, timore vel amore, alterum permoueamus ad id quod petimus, idque eo modo, vt si nolit, videatur Deum quasi parui pendisse. sic enim illum adducimus, vt ipsemet nobiscum quasi petere videatur, non tamen idcirco alter obligatur, nisi sit inferior, cui possumus imperare: gratissimum tamen Deo est, si reuerentia vel amore ipsius, adiuranti obsequatur.

68 *Fit duobus modis.*
Dico Secundo, Adiuratio duobus modis fieri potest, praecipiendo, & deprecando, vt docet D. Thomas art. 1.

Exemplum prioris est 2. ad Timoth. 4. vbi Paulus adiurat Timotheum, *Testificor coram Deo & Christo Iesu, per aduentum ipsius & regnum eius, praedica verbum, &c.* & 1. ad Thessal. vlt. *Adiuro vos per Dominum, &c.* legatur epistola haec. Matt. 26. Princeps sacerdotum adiurat Christum *per Deum viuum.* Genes. 24. Abraham adiurat seruum *per Dominum cali & terra.* Denique sic adiurantur daemones in exorcismis Ecclesiae.

Exemplum posterioris est in precationibus Ecclesiae, quando per Christum petit exaudiri. Item in Litanis, *Per mysterium sanctae incarnationis tuae, Per aduentum tuum, &c.* Quamuis si proprie loqui velimus, hoc potius sit obsecratio, quam adiuratio. generatim tamen adiuratio dici potest, quando aliquid diuinum interponitur, vt eius reuerentia vel amore alterum flectamus.

69 *Sola rationalis natura adiuratur.*
Dico Tertio, Sola natura rationalis est idonea qua per se adiuretur; quia haec sola potest percipere diuina, eorumque reuerentia & amore impelli ad agendum. sic Deum adiuramus obsecrando per bonitatem, misericordiam, & omnes miserationes ipsius, per Christi passionem & merita, per merita B. Virginis, & Sanctorum. quae omnia allegamus; exhibemus, & veluti offerimus illi, vt horum intuitu & amore permoueatur ad praestandum quod cupimus. Simili modo possumus adiurare Sanctos.

Vbi aduertendum est, dum Sanctos & eorum merita interponimus, tacite etiam ipsum Numen diuinum, quod illis est causa sanctitatis & meritorum, subintelligi; alioquin si solum bonitas, quae est in meritis & sanctitate illorum, spectetur, non tam est actus Religionis, quam obseruantiae in hac allegatione.

70 *Daemones adiurantur imperio.*
Daemones quoque adiurari possunt, non obsecrando, sed imperando & terrorem hac Dei & rerum diuinarum contestatione incutiendo. adiuratio enim non tantum fit vt quis amore vel affectu reuerentiae in Deum commoueatur; sed etiam vt timore concutiatur, & sic abscedat vel nocere desinat. Sic etiam Ecclesia per exorcismos, qui sunt adiurationes quaedam solemnes ab Ecclesia instituta, daemones expellit tum ab hominibus, tum etiam ab aliis creaturis: estque in Ecclesia Ordo exorcistarum, ad hoc munus institutus. Imò haec potestas est propria Ecclesiae, & verae religionis nota: nulla enim alia religio potest daemones eicere. Vide Iustinum apologia 1. pro Christianis,

& dialogo cum Tryphone, Tertull. in Apoleget. cap. 37. August. lib. 10. de ciuit. cap. 22. Fuit quidem apud Iudaeos ante Christi aduentum, cum apud ipsos erat vera religio: sed postea vna cum religione desit apud ipsos, & translata est ad Ecclesiam Christi, vt colligitur Act. 19.

Dixi, *non obsecrando*: quia obsecrare aliquem, est se illi subiicere tamquam maiori, & illius beneuolentiam & societatem captare; vnde etiam est signum beneuolentiae erga illum: nullo autem modo possumus nos daemone subiicere, aut illius fauorem expetere, aut beneuolentiam erga illum gerere. Primo, Quia est hostis Dei, omniumque Deo adhaerentium; nihilque aliud nisi honorem Dei & salutem animarum impedire studet. itaque in iniuriam Dei cedit, si honor, aut aliqua beneuolentia ei deferatur: sicut iniurius est in Principem, qui hosti proscripto beneuolentiam politicam exhibet. Secundo, Quia nihil vquam sponte facit, nisi vt decipiat & noceat saluti: itaque omne ipsius beneficium est maleficium. Hinc Apostolus 1. ad Cor. 10. *Nolo vos fieri socios daemorum.* & 2. ad Cor. 2. *Vt non circumueniamur a satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* & B. Petrus epist. 1. cap. 5. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem deuoret.*

Vnde sequitur, non esse licitum a daemone in obsecris posito petere, nisi ea quae pertinent ad eius expulsionem; vt quod sit eius nomen, quam sint multi, quare ingressus; (haec enim petit Dominus Marci 5.) vel ad aliorum vtilitatem; vt docet D. Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 5. qualia ab hoste absque vilo ligno beneuolentiae peti possunt. Si tamen aliqua solum ex curiositate petantur, non videtur peccatum mortale; vt docet Nauarrus cap. 11. num. 28. ex Caietano; quia quando ipse non aduocatur, sed se sponte offert in corpore assumpto, vel obsecro, non censetur talis collocutio signum societatis & beneuolentiae, praesertim notabilis.

Res inanimae per se & directe adiurari non possunt, quia non intelligunt; sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quae illis praesidet, easque mouere potest, vt ait D. Thomas artic. 3. Sic exorcizatur aqua, sal, domus: partim enim inuocatur virtus diuina, vt in vsu harum rerum assistat, & diaboli vim coerceat: partim per virtutem diuinam praecipitur diabolo vt abscedat, & in his non noceat. Item locusta, mures, grandines, tempestates, & similes rerum humanarum noxae, vt Deus damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat. Vide Sotum lib. 8. de Iustitia quest. 3. art. 3.

Huc pertinet adiuratio illa S. Brixij, qui infantem triginta dierum adiurauit vt diceret si ipse esset pater eius, vt quidam sparserant: cui infans respondit, *Non pater meus es tu*, vt refert Gregorius Turon. l. 2. histor. Franc. cap. 1. continebat haec adiuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur vt infanti vocem daret.

DUBITATIO XIV.

Quid periurium, & quae eius poena.

73 *Periurium dupliciter siue accipitur.*
Nomen *periurij* dupliciter accipitur. Primo, Propterea, pro iuramento, cui deest veritas

71 *Commercium cum daemone, cur illicitum.*

72 *Quae possint peti a daemone in obsecris.*

72 *Res inanimae quo modo adiurantur.*

73 *Periurium dupliciter siue accipitur.*

siue præfens, vt si falsum sciens confirmes; siue futura, vt si fidem datam & iuramento confirmatam sine iusta causa non serues. Secundò, Generalitèr, pro omni iuramento, cui ex tribus comitibus aliquid deest, siue *iustitia*, siue *iudicium*, siue *veritas*. Si enim iustitia desit, etiam quodammodo deest veritas: quia quod promittitur, seruari non potest. Si verò iudicium, tunc etsi fortè ex parte rei non desit veritas, tamen periculum est ne desit; vt cum quis iurat re non satis perpensa. Quando tamen iura loquantur de periurio, intelligunt primo modo.

Periurij
4. modi.

Inter periuria primum locum tenet cui deest veritas præfens, nempe quo quis sciens & volens falsum confirmat. Deinde cum quis fidem iuramento promissam violat. Tertio, Quando iurat contra iustitiam. Quarto, Quando absque iudicio.

74
Pœna per-
iurij.

Pœnæ periurij propriè dicti apud omnes nationes sunt valde graues, vt docet Couarruias in cap. Quamuis pactum. p. 1. §. 7. num. 2. Apud Scythas & Ægyptios plecebantur pœna capitis, apud Indos manuum pedumque extremorum accisione. In multis locis puniuntur præcisione manus. Iure Ciuili sunt infames, si periurium erat in nocumentum alterius; non autem si nemini noceat, vt docet Glossa in L. Si quis maior. 14. C. de transactionibus. Iure Canonico etiam sunt infames; cap. Infames. 16. & cap. 17. Quicumque. 6. quæst. 1. quod intellige, si res est notoria. Hæc tamen infamia non adducit propriè irregularitatem, nisi irrogata sit per sententiam Iudicis: vt si quis de periurio sit condemnatus; tunc enim irregularis est, & eget dispensatione, etiam post vitæ mutationem. alia infamia tollitur bona vita, obliuione, & loci mutatione, vt Couarruias & alij docent. Præterea in foro externo imponitur illis grauis pœnitentia; nam d. cap. Quicumque, dicitur: *Quicumque sciens peuerauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos pœniteat sequentes, & numquam sit sine pœnitentia; & numquam in testimonium recipiatur. communio- nem tamen post hoc recipiat.*

Petes, Vtrum periurium sit grauius homicidio? Quidam putant esse grauius. Ita Siluester v. Periurium, q. 2. D. Thomas quodl. 1. art. 18. & Socus l. 8. de Iustitia, q. 2. ar. 3. Primò, Quia hoc est contra Deum & virtutem religionis; illud contra proximum & Iustitiam particularem. Secundò, Quia homicidæ interdum defertur iuramentum ad se purgandum, & ille mauult fateri homicidium, quàm incidere in periurium. Sed hæc rationes non conuincunt, vt ostendit Gabriel in d. 39. q. 2. art. 3. dub. 4.

75
An periurium grauius homicidio.

Itaque contraria sententia est Gabrielis ibidem, vbi pro eadem adfert Richardum. Idem tenet Maior ibidem q. 5. & Angelus. Ratio illorum est, quia homicidium est directè contra charitatem, periurium contra religionem. sed neque hæc ratio conuincit: quia, vt benè Siluester ait, homicidium est directè contra Iustitiam particularem. Deinde non est directè contra charitatem Dei, sed proximi; quæ non est præferenda virtuti religionis.

Vtraque sententia est probabilis. Puta tamen, homicidium omnibus spectatis esse grauius & detestabilius; tum ob grauius & irreparabile damnum, quod proximo directè inferitur; tum quia difficilius multò committitur: periurium autem facile committitur, & solum indirectè honor Dei læditur; non enim id intenditur. Accedit, quòd violatio voti non censetur tantum peccatum, quantum homicidium, etsi honor Dei in eo lædatur. Est tamen periurium crimen valde graue, dignum depositione; vt habetur cap. Cum non ab homine. 10. de Iudiciis.

Vtraque
sententia
probabilis.

His adde, omnia *periuria* propriè dicta, nimirum quæ sunt contra veritatem, esse eiusdem speciei, quia eiusdem rationis deformitas & irreuerentia est, Deum facere testem falsi, siue res sit magni momenti, siue parui; siue id fiat in iuramento assertorio, siue promissorio. Potest tamen accedere alia deformitas ratione nocenti, vel peruersionis Iudicij, &c. Vide supra dubit. 2. numero 9.

C A P V T X L I I I.

De Superstitione, eiusque speciebus.

Completitur Dubitationes 10.

Explicatis functionibus religionis, dicendum est de vitis oppositis. Hæc duplicia sunt: quædam per excessum cultus, quæ nomine *superstitionis* comprehenduntur; quædam per defectum vel contemptum, quæ nomine *irregularitatis*: qualia sunt periurium, tentatio Dei, sacrilegium, & simonia. periurio enim & tentatione ipsi Deo in se iniuria irrogatur: sacrilegio verò & simonia (quæ est species sacrilegij) in rebus sacris. De periurio & simonia dictum est supra; de tentatione & sacrilegio dicemus infra cap. 45. hoc verò capite de superstitione.

DUBITATIO I.

Quid sit superstitio, & quanam eius species.

D. Thom. quæst. 92. & 93.



Superstitio dicta est vel ex eo quòd homines nimij erant in precando & immolando vt liberos relinquere sibi superstites, vt vult Cicero lib. 2. de natura deorum: vel quòd relictis veteribus diis colerent superstitem memoriam suorum maiorum,

I
Superstitio
unde dicta.